



GEORGIUS
PRINCEPS ANHALTINUS, COMES
ASCANIAE &c.
PRAEPOSITUS MAGDEBURGENSIS ET MIS-
NENSIS, SENIOR CAPITULI MERSBURG.

*Natus anno M D V I I .
Mortuus anno M D L I I I .*

NARRATIO

2

De

*Reuerendissimo & Illustrissimo
Principe*

GEORGIO

Principe Anhaltino & Asca-
niae &c. Præposito Magdeburgensi
& Misnensi, Seniore Capituli
Mersburgensis.

Auctore

IOACHIMO CAMERARIO,
Pabepergense.



LIPSIÆ,

Sumtibus MART. THEODORI HEYBEY.

ANNO M. DC. XCVI.

ES

TMIS
RG.

NARRATIO

Principis Augustini de Alca-

GEORGIO

Principis Augustini de Alca-
Magistro Martino Magdalenano
Magistro Martino Magdalenano
Magistro Martino Magdalenano

LEONARDO CAMERARIO

Magistro Martino Magdalenano

MARTI THEODORI HEYBE

ANNO M. DC. XXVI



Illustrissimo Principi ac Domino
DN. IOACHIMO
PRINCIPI ANHALTINO
ET ASCANIAE &c.

Domino suo clementissimo

S. D.

IOACHIMVS CAMERARIVS.



*U*num Tuæ Clementiæ
permissu, illustrissime
Princeps, exprimen-
das essem daturus
chalcographo nostro
Conciones quasdam, a reuerendissi-
mo & illustrissimo Principe, beatæ
memoriæ, fratre dilectissimo Clemen-
tiæ Tuæ, Principe **GEORGIO**, habi-
tas in iis Synodis, quas studio plenissi-
mo pietatis ac religionis ille confla-
vit, & in quibus munere est functus
maxime fidelis & vigilantis atque
assidui custodis Ecclesiæ Jesu Christi:
venit mihi in mentem, facturum me
operæ pretium, si de autore aliquid
prænarrarem. Eamque operam,

A 2

cen-

censui esse dandam, & meritis ipsius
& singularis clementia voluntati,
qua me benignissime esset complexus.
Conscripsi igitur quaedam,
& curavi proponenda Orationibus
illis, quas legentibus & voluptatem
& utilitatem allaturas scio esse
immensam: qui & submisse amaturi
sunt hoc nomine Clementiam Tuam,
& illi gratias acturi, quod tantum
bonum cum aliis quoque communicari
voluerit. Sunt enim & actionum
et alium haec monumenta, & ea
doctrina explicatur concionibus istis,
ut cognitione huius illarumque recordatione,
& facultas pie eruditionis comparari,
& prudentia religiosa augeri possit.
De quibus minus verborum faciendum est,
quod, ut probe & praeclara merces ipse sese indicant,
sic qui illas legere voluerint, commendationem
aliam quasi praeconis desideraturi non sunt,
sed & de primo gustu bonitatem percipient,
& usu delectabuntur. De publicis autem
damnis, quae ista morte facta sunt,

sunt, & aliorum extant querela, &
hoc illustrissimi Fratris Clementia
Tua sancta anima profecto optat,
non tantum mali tam cito sensisse
patriam excessu suo. Itaque huius
partis tristitiam in presentia omit-
tamus. Tuam autem, illustrissime
Princeps, Clementiam oro, ut tam
operam studii & diligentia mea in
edendis concionibus reverendissimi
& illustrissimi Principis fratris Tuae
Clementia, quam celebrationem no-
stram beatissima memoria illius, &
nobilissimi generis illustrissima Do-
mus vestra, in optimam partem acci-
piat. Id quod a Tua Clementia mihi
submisit polliceor: vel quod a quam-
plurimis celebrari nomen illustrissi-
mi Principis fratris Clementia Tuae
gratum acceptumque illi esse scio; vel
quod meos illa conatus non despiciet;
vel etiam quod clementissimo favo-
re me complectitur. Atque id mihi
futurum satis est. Quum me non
fugiat, in quam partem aliqui in-
terpretaturi sint operam istam studii
A 3 mei,

mei, qui peruerso quodam ardore incensi, præclarum esse putant, contumelias euomere de omnibus quæ ipsis displicent: vel potius, aliter loqui ac scribere quoniam non didicerunt, neque tacere sciant, ita loqui illos ac scribere necesse est. Ego autem, ut veterum quidam sua edi intelligentibus, ita mea Tuæ primum clementiæ, sapientiæ, pietati, virtuti: deinde aliorum eruditioni, doctrinæ, humanitati, edita esse volo. Malitiam vero & fastum atque insolentiam, imperitiæ, ut arcere ab his non licet, sic existimare cupio, ad se istorum nihil pertinere; non magis quam ad aprorum genus limpidos fontes, aut præta florida. Tuæ illustrissimæ Clementiæ vitam, salutem, terras, & gubernationem commendo æterno DEO. Bene valeat Clementia Tuæ. Lipsiæ Cal. Maji, anno Christi M. D. LV.



VITA
GEORGII PRINCIPIS
ANHALTINI.

I.



Persis institutum fuisse legimus, ut in conspectum Regis adducti, illum venerari diuino cultu, & in terram procumbere ante ipsum cogerentur: quod in Regiæ nobilitatis excellentia, imaginem Dei gubernantis hunc mundum, quique esset autor largitorque salutis omnium, expressam esse in terris sentirent, & ideo obseruantia summæ honorem huic deberi. Quod si potentia & sceptri Maiestas referre diuinitatem quandam inter homines existimatur, non profecto iniquiorem concipi opinionem de religione, pietate, virtute, sapientia, doctrina, neque non hanc pulcherrimam effigiem Dei esse, credi debet. Quæ si vera sunt, ut esse liquet, (non enim certe Deus cognosci magis omnipotentiam suam quam bonitatem & sapientiam voluit) multo scilicet erit illustrior species diuinita-

ta-

tatis in nobilitatis potentiaque & virtutis ac
 sapientia coniunctione. Atque eo quidem
 magis, si intueamur hanc oculis non modo ra-
 tionis humanae, sed etiam intelligentiae eius,
 quam patefactio coelestis veritatis in mente
 accendit. Ut enim opera picturae & statua-
 rum, quam scite & affabre facta sint, artificum
 contemplatio iudicat, imperiti autem colori-
 bus tantum aut nitore capiuntur: sic pietatis
 religiosa consideratio operum diuinorum ela-
 borationem plane perspicit, & autorem illo-
 rum agnoscit, & consilium atque voluntatem
 in his perficiendis animaduertens, quum ve-
 neratur aeterni Dei beneficium numen, tum
 expressam pulchritudinem in natura eo hono-
 re, qui illi debetur, afficit. Non enim certe
 fortuito existere, neque fatali quadam rerum
 serie procedere ortus, interitus, euentus, tem-
 porum vices verti inclinatione casuum, & ho-
 minum praecalam & egregiam progeniem so-
 lo, quemadmodum dicitur, exoriri, putat ani-
 mus veritatis diuinae cognitione instructus
 sed vnum effectorem parentemque & mode-
 ratorem atque rectorem Deum esse scit, qui in
 natura conspicua esse voluerit opera omnipo-
 tentiae, sapientiae, iustitiae, benignitatis suae, ut i-
 pse solus vnus aeternus Deus, secundum de-
 monstrationem eam, quae est prolata *λογω ἀϊδίω*
 aeternae mentis per agitationem Spiritus sancti,
 ve-

veneratione, precibus, imploratione, gratiarum actione, & laudum celebratione, colatur in hac vita assidue & fideliter, cum spe vitæ in cœlis sempiternæ. Atque ista est penus firmissima omnis felicitatis humanæ; non ea, quam veteres quidam suarum cogitationum acumine explorasse se rati, in Fortuna, & hujus quasi procuratore Genio, collocarunt.

II. Hæc veluti prænarranda duxi, quum proposuissem quædam de illustrissimo & sanctissimo Principe GEORGIO, Principe Anhaltino, scribere. Quibus pro mea etiam parte illius pietati, virtuti, & sapientiæ, & ingentibus meritis erga patriam, clementiæque, & proluxæ atque munificæ voluntati, memoria animi grati officiose perfolueretur. Impar illa quidem excellentiæ ipsius; sed tamen & debita & studiosa. Huius enim speciosissima imago nostra ætate conspecta fuit, omnium eorum, quibus suæ benignitatis munera propitius Deus in genere humano proferri & apparere vult. Istius autem propositi occasio fuit editio quarundam Concionum, quas ille plenissimas sinceræ religionis, & maximæ caritatis erga suos, in conuentibus ecclesiasticis habuisset: quarum lectionem piis studiis multiplices fructus allaturam esse confidebamus. Etsi autem & aliorum de hoc Principe encomia in medio sunt, & diserta expositione præ-

cipuarum rerum mirifice capiunt legentes; tamen & nostræ narrationi aliquem locum relictum iri sperauimus, vel propter singularem obseruantiaæ meæ affectionem, vel propter abundantem copiam eorum quæ de hoc Principe cum veritate laudabiliter commemorari possunt. Ordiam autem, vt par est, a maiorum domus Anhaltinæ splendore nominis, & virtutis gloria, & dignitatis excellentia. Et si autem is merito & illustrissimus Princeps & vir amplissimus perhibetur, qui sua ipsius virtute extollitur, & sapientia propria præstat cæteris; tamen omnium consensione, quod naturæ est iudicium, nobilitas generis commendationem singularem habere existimatur. Neque immerito. Diuinum enim esse beneficium confitendum, propagationem de vna origine multorum, directam successionem posteritatis & nominis gloriam custodientem. Itaque Poetæ Græci quorum genus celebrare in primis voluerunt, eorum ortum tradiderunt esse diuinum. Significantes nimirum, hominibus eximium hoc munus a Deo conferri: vt diuturnitate quadam series procreationis immortalẽ famam assequi quodammodo sole-re videatur. Quapropter inuidia quoque caret successio opum, & potentiaæ antiquæ, quod quasi publicum hoc patrimonium a maioribus relictum minoribus debeatur: qui & indigni

digni laude suorum, degenerando maculam
 aspergunt familiæ, atque odium incurrunt; &
 digni, veteres titulos novis ornamentis deco-
 rantes, incredibili favore & studio omnium
 extolluntur, κατὰ μῆζον ἔρχεται τῆς εὐγενείας
 εὐνομα, secundum Euripidem.

III. Est autem perdifficilis explicatio fami-
 liarum nostratium, propter nostræ gentis non
 tam negligentiam, quam simplicitatem: qui-
 bus non fuit curæ, vt haberent præcones vir-
 tutis & rerum a se gestarum; sed id studie-
 runt, ne alii magnitudine animi, & iustitia, &
 fortibus factis priores aut essent aut haberen-
 tur. Neque viguit eruditio literarum, & cultu-
 ra bonarum artium, in natione bellis occupa-
 ta & studiosa armorum. Non tum caussarum
 contemplationi vacabat cogitatio, non pru-
 dentia disertæ oratio copiosa affectabatur; sed
 agri diligenter colebantur, & res familiaris la-
 bore assiduo non tam augebatur cupide, quam
 retinebatur strenue. Exercitationes autem
 erant in vmbra nullæ, sed omnes manifestæ, ve-
 nationum præcipue, & equitationum, & iacu-
 lationum, & gestuum repræsentantium con-
 gressus dimicationum, & formas tam feriendi
 hostes, quam ictum hostilem excutiendi. Non
 enim tantopere probabant læsum ab aliquo
 aduersarium, quam vim externam propulsa-
 tam a corpore, & incolumitatem conseruatam
 esse

es; ta-
 reli-
 rem,
 er ab-
 Prin-
 norari
 orum
 virtu-
 Et si
 cept &
 is vir-
 tat cæ-
 od na-
 amen-
 ur. Ne-
 nefici-
 na ori-
 poste-
 n. Ita-
 are in-
 derunt
 , homi-
 ferri: vt
 nis im-
 lo sole-
 que ca-
 æ, quod
 maiori-
 ui & in-
 digni



esse. Admiscebatur & motuum quædam venustas in lucta, & saltationum agilitas, & decursi spatii certamen. Serio autem in id quisque incumberebat, ut esset secundum Tydeum Euripidis,

ὄπι ἐν λόγοις μὲν λαμπρὸς ἀλλ' ἐν ἀσπίδι
δεινὸς σοφιστῆς, πολλά τ' ἐξευρεῖν σοφὰ,
εὐρῶν ἀκριβῆ μισσηὴν ἐν ἀσπίδι.

Neque tamen defuere nostris hominibus unquam ingenia doctrinæ liberalis capacia, sed literarum profecto peritia antiquitas caruit. Declarant hoc ea quæ de nostratibus Poetis tradidere Græci, quibus nomen *Bardis* esset. Quum nunc quoque vulgares isti huius generis circulatores *Gabbardi* vocentur, quod nomen muneris expectationem significat: nam ab iis, quos vel laudant vel exhilarant iucunda recitatione, communiter donari istos adhuc in moribus nostris esse constat. Declarant & carmina veterum, quæ quum a multis memoriter accinerentur, Caroli Magni iussu collecta descriptaque fuisse accepimus. Caroli autem temporibus cæpisse primum nostrorum hominum aliquos conari literis Latinis mandare res aliquas, aut institutionis utilis, aut narrationum tam recentium quam veterum, populari sermone pronunciatas, multa sunt argumenta: & nos vidimus librum Ludouici Caroli F. temporibus exaratum, continentem

Euan-

PRINCIPIS ANHALTINI. 7

Euangelicam historiam, quam autor testatus fuit, se Francica lingua voluisse exponere. Vidimus & alia quædam fragmenta chartarum, quibus quid perscriptum fuisset animaduerti non poterat: ea omnia eiusmodi erant, vt aliena scripturæ ratio, & incognitus prisca consuetudinis sermo, nullum continuum sensum a lectore percipi pateretur. Ac nostratis sermonis proprietates Latinarum literarum comprehensioni tam pertinaciter refragata fuit, vt vix annis postea ferme quingentis, sese describi harum figuris ille siuerit. Annis enim abhincducentis septuaginta duobus, Rudolfo rerum potente, decretum tandem fuit, vt liceret contractuum & publicarum literarum alia monumenta populari sermone conficere, vtque tantum illa valerent ac si Latina oratione aliquis vteretur: atque ex eo tempore deinceps frequentata fuit librorum quoque compositio. Reddit autem rem hac in parte difficiliorem tam deprauatio prisca appellacionum, quam quorundam, quæ quasi obsoleuerunt obliuione vetustatis obruta, ignoratio. Tum etiam audacia ingens fingendi quiduis, & commenta antiquitatis fide, quæ redargui non posset, affirmandi: qua & multa gesta commemorata quæ gesta sunt nunquam, & nostratia genera in externa infusa, atque ita nostras historias redditas esse

con-

am ve-
decur-
quisque
um Eu-
ridi
bus vn-
a, sed li-
caruit.
Poetis
is esset.
s gene-
uodno-
at: nam
ararunt
ari istos
Decla-
a multis
ni iussu
Caroli
nostro-
Latinis
tilis, aut
terum,
sunt ar-
udouici
nentem
Euan-

constat mendosiores. Sed quanquam hæc certæ & exquisitæ narrationi officere necesse est plurimum, tamen ad inueniendam quasi sedem veritatis, vbi cognitio non sit instabilis, multum valet diligentia & industria studii prudentum & doctorum hominum.

IV. Quorum traditas & peruestigatas indicationes nos sequentes, de hac illustrissima progenie, a cuius quasi fonte deducere reliquæ narrationis cursum placuit, reperimus vel temporibus Caroli Magni, vel paullo post, Hermannum Principem Ascaniæ (quæ est Anhaltina domus) coniugem habuisse Hiltegardim, sororem Bitichindi & Berichingi, filiam Dietrichi. Quod tempus abire aliquantulum oportet ultra annum Christi DCC. Ascaniæ autem nomen ditionis horum Principum & Ballestedii antiquissima est. *Ballestedium* a materia trabum appellatum esse non dubito. *Ascaniæ* autem vocem alii aliunde ducunt. Quam nunc etiam præ se fert oppidum in tractu terrarum, quas incoluerunt Cherusci veteres. Quibus placet Asiaticam olim gentem in hæc loca venisse, ii speciosissima & ciuitatis Ascaniæ, & Ascanii Aenææ filii, & alterius ætate superioris ductoris Phrygum, nomina a Græcis autoribus possunt assumere. Sed nos ingressi in viam narrationis exploratæ, hac ipsa, aliis præteritis, pergamus. Herman-
ni

PRINCIPIS ANHALTINI. 9

ni filius fuit Berichingus, nomine, ut videtur, familiari & gentilitio. Nam cognomentum vetus fuit Principum istorum, quacunque sane de causa, Vrsorum. Credibile est de studio, vel etiam quopiam euentu, venationis primum alicui illud impositum esse. *Berichingus* autem deminuta Germanica voce a *Bero* (*Bär*) vrsum paruulum significat, & eiusdem originis est *Berengarii* appellatio, siue a *Berichingo* detorta, seu significans cupiditatem aggrediendi vrsum. Atque hoc nomen in Italiam ab his Principibus allatum, ibique istam familiam quasi consitam esse, historiae series plane demonstrat. Berichingus Hermanni filius ex Chunhilde Rugia suscepit quum alios liberos, tum gubernationis heredem Berichingum. Hunc vna cum auunculo magno Bittichindo aduersus Carolum bellum gessisse, & tandem certis conditionibus Carolo se subiecisse, & ritu Christiano baptizatum Caroli nomine appellari coeptum esse, perhibetur. Quas actiones incidere oportet in annum Christi DCC LXXX. Hic coniugem habuit Hermo-
din, vel ut alii Luccardin, Saxonici ducis Luithulfi, ut fertur, filiam; & ipsam ex Bittichindi progenie, sed quo ab illo interuallo atque gradu, incertum est. Quae peperit filium Hermannum, a quo inexplicata successione per Esichi, Tamichi, Erichi, Adalberti, indistinctae

sobolis nomina, ad Esichum, fundatorem pii
 & religiosi collegii Ballestediani, familia hæc
 perducitur, cuius ætas incidit in annum Chri-
 sti MCXXIX. *Esichi & Tamichi*, ab Esa & Tama
 deminutæ voces sunt, his temporibus, ni fallor,
 ignotæ significationis. *Erichus* autem vel est
 & ipse deminutus a verbo Teutonico signifi-
 cante Herum, vel est in nomine significatio
 honoris & opulentia. Esichi hujus filius Otho
 fuit, cognomento Diues, pater Alberti Beri, id
 est, Vrsi, geniti matre Sophia, filia Magni Ducis
 Saxonie. Albertus affinitatem contraxit cum
 Misnie Marchionibus, & toto tempore quo
 gubernationi præfuit cum varia fortuna bello-
 rum conflictatus, nauauit operam Lothario
 Imperatori in Italia, & domi multiplices im-
 pressionibus hostium represit, & Septemuir cre-
 ando Imperatori factus est, titulo & possessio-
 ne Brandenburgensis ditionis. Huius filii fu-
 ere Otho & Bernardus. Otho Brandenburgem
 ditionem tenuit, Bernardus cum Saxonica
 & ipse Septemuirum Imperatori creando ho-
 norem consecutus est. Bernardi ex Cimbrica
 coniuge filii fuere Albertus & Henricus. Al-
 berto Saxonica dignitas & terra obuenit, Hen-
 ricus gentilem possedit Ascanie regionem.
 A quo multiplici ista domus prole haud longo
 tempore aucta, tanquam foecunda arbor, late
 protulit quasi ramos illustrissimæ prosapia,
 quæ

PRINCIPIS ANHALTINI. II

quæ post annum circiter trecentessimum eos Principes produxit, quorum sapientiam, virtutem, & pietatem, patrum nostrorum & nostra ætas cognouit atque suspexit, & a quibus patria verissimis præclarissimæ laudis titulis illustrata est. E quibus Rudolfus, princeps fortissimus, in exercitu Maximiliani Imp. virtute & consiliis præstans, obiit diem suum Veronæ, neque abfuit suspicio veneno illum sublatum fuisse. Adolfus autem studio religionis & vitæ sanctitate excellens, in gubernatione Ecclesiæ Mersburgensis, omnibus venerabilis & reuerendus maxime consenuit. Coniugia autem huic stirpi inserta fuere quum alia memorabilia, tum sororis summi Principis Ludouici, mariti Elisabethæ sanctæ foeminæ; itemque filia Leopoldi ducis Austriaci, etsi Imperatoris Rudolphi filiam alii nominarunt; nec non & filia (vt diximus) clarissimi atque cognati generis, Marchionis Misnensis.

V. In hac igitur antiquissima nobilissimæ domus familia natus Princeps Georgius, parentem habuit Ernestum, fratrem Rudolphi, Georgii filium. Adolfo autem pater fuit Adolfus, frater patruelis Georgii, aui huius Georgii, Ernesti filii, de quo narratio ista instituta est. Hunc laudatissima foemina Margarita, filia illustrissimi Ducis Henrici Munsterbergensis, peperit post maiores natu filios duos,

Thomam & Iohannem, & ante minorem Ioa-
 chimum. Huius illustrissimæ fœminæ pru-
 dentia, & pietatis, & affectionis erga veritatis
 cœlestis doctrinam, & eximia innocentia, re-
 cens adhuc memoria est. Sed illustrissimus
 Princeps Georgius tam parentum voluntate,
 quam Adolphi Episcopi consilio, vna cum fratre
 Ioachimo, minore annis duobus, ab ineunte
 pueritia liberali disciplina institutus fuit, &
 nondum annos natus duodecim iam orbatus
 patre, ad plenioram quasi mercatum doctrinae
 missus Lipsiam; præfecto educationi & studiis
 ipsius optimo viro, & fide præstante, & flagran-
 te desiderio cognitionis eruditæ & bonarum
 literarum atque artium, Georgio Helto patria
 Vorchemio. Cui & ego puer erudiendus tra-
 ditus, hoc inter ea, quæ in mea vita feliciter
 mihi acciderunt, præcipuo loco ponendum
 duco, contigisse meæ pueritiæ talem magi-
 strum, & alterum plane parentem. Non enim
 ille, si ipsius filius essem, aut custodire ætatem
 meam diligentius, aut tradere præcepta hone-
 statis & bonarum artium fidelius potuisset. De
 quo quicquid grati animi memoria prædicati-
 one nostra celebret, leuius esse atque exilius
 futurum facile intelligo, quam vt vllam par-
 tem meritorum illius æquare possit. De hoc
 igitur quod ad me attinet sileatur. Erga Prin-
 cipes autem fratres tantus amor, & illos in-
 sti-

stituendi ea cura fuit hujus magistri, & in hunc quoque ipsorum caritatis affectio, vt singulari Dei æterni benignitate conciliatos esse dubitandum non sit. Erat natura in Principe Georgio perquam placida & clemens, & quum ad religionis obseruationem custodiamque innocentia ipse sese non haberet seueriorem monitorem, summa tamen comitas & erga omnes humanitas mirabili suauitate mores illius quasi condiebat, vt tam in dictis quam factis omnibus gratia venustatisque commendatio inesset.

VI. Propinquum suum Episcopum amisit natus annos nouendecim, qui curationi illi præfuerat annis duodecim, paterno animo erga suos, Princeps religionis & pietatis studiosissimus, non etiam indoctus, vt captus fuit illorum temporum. Solebat ille omnia Episcopi munera accurate & sedulo exequi. Audiui eum ego adolescens senem admodum concionantem ad populum, quum quidem minus liquido exaudiri verba possent, quamvis de contentione, quanta suscipi maxima poterat, nihil ille remitteret. Hoc Episcopo præfidente in Ecclesia Mersburgensi, disputationes de mercatu veniarum Papalium, qui impudente temeritate exercebatur, prouocauerunt aliarum quoque rerum quæstiones. Inter quas & de causis reconciliationis homi-

em Ioa-
næ pru-
veritatis
tia, re-
risimus
untate,
m fratre
ineunte
fuit, &
orbatus
doctrina
& studiis
flagran-
onarum
o patria
dus tra-
feliciter
mendum
magi-
on enim
etatem
a hone-
ffet. De
ædicati-
e exilius
am par-
De hoc
ga Prin-
illos in-
sti-



num cum Deo certiora & disertiora proferrî,
 & errores vel stoliditatis superstitiosæ vel frau-
 dulentæ malitiæ detegi: quum Martini Lu-
 theri Theologi Wittenbergensis salutare ad-
 monitiones, & studium veritatis, insolentia at-
 que ferocia aduersariorum arreptum incle-
 menter exagitaretur, ipseque non tam irrita-
 retur quam raperetur in certamen & pugnam.
 Audiui ego Principem Georgium narrantem,
 quanta cum sollicitudine animi Episcopus A-
 dolfus de illis rebus atque controuersis cogi-
 tare, quam caute loqui consueuisset. Ac
 quodam tempore facta mentione doctrinæ, vt
 quidam dicebant, nouæ, de hominis coram
 Deo iustitia, quæ esset vnica meriti Jesu
 Christi, & sola fide vnicuique applicaretur, &
 plerisque (quod hoc Episcopo gratum esse
 sperarent) Lutheri de ea re doctrinam conde-
 mnantibus; narrabat Princeps Georgius, diu
 assedisse Episcopum nihil loquentem, vt de
 silentio, esse cogitationes ipsius graues, anim-
 aduerti posset. Tandem vehementiore ora-
 tione & sono vocis altiore dixisse: Quid?
 vos ne hanc doctrinam nouam perhibetis?
 Annon meministis, quid in Psalmo legamus:
*Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vi-
 uens?* atque impetu animi concitati ter hoc
 repetiisse, *omnis viuens.* Quo responso il-
 lam insectationem subito conticuisse. Finiuit
 vi-

vitam in terris suam Episcopus Adolfus anno Christi MDXXVI. X. Cal. April. perfunctus laboribus curationis suæ, & feliciter acquiescens in spe clementiæ & misericordiæ diuinæ.

VII. Post decessionem Episcopi Adolphi Princeps Georgius, (qui ad Ecclesiasticæ dignitatis eximiam spem educatus, etiam honores iam aliquos consecutus esset) confirmata & aucta prudentia & doctrina, traductus fuit quasi in lucem & conspectum hominum, & ad gubernationis partem in Magdeburgensi principatu a propinquo Archiepiscopo Alberto adhibitus. Quo tempore toto quum essent ante oculos & inter manus, vt dicitur, incrementa opulentiæ, splendoris, amplitudinis, quum occasiones offerrentur voluptatum & vitæ suavis, quum Princeps ætate floreret, corpus haberet integrum viribus, statura elegans, membris firmum, specie formosum, totius habitus pulchritudine conspicuum; animus autem neque inertia torperet, ac potius & sua natura & in illo annorum vigore neutiquam quiesceret, sed ad agendum aliquid incitaretur: tum igitur & cura in ipso virtutis honestatisque, & in omnes partes diligentia atque industria aucta fuit, & labores maiores suscepti, & repressa indulgentia, quam blandiens adolescentiæ sensus conciliare hominibus consuevit: tantum abfuit vt voluntas ad pra-

vitatem, & studium ad turpitudinem conuer-
 sum, denique vt iucunda & dulcia & quasi lu-
 dum concessum iuuentuti ipse secutus sit, me-
 mor, non modo quam personam Deus sibi
 imposuisset, qui tali conditione atque loco na-
 sci se voluisset; sed quid etiam deceret eum,
 qui ad veram laudem educatus, & ad publicam
 vtilitatem productus esset, a quo omnes boni
 & ipsa patria non communia vulgaris guber-
 nationis, sed singularia peculiaris officii meri-
 ta atque munera expectaret. Itaque in isto
 fastigio honorum, in libertate vitæ, in copia
 & lautitia victus, religiose, caste, gnauiter, so-
 brie, decurrit spatium ætatis lubricæ & pronæ
 ad vitia, sic ab omnibus vt laudem pietatis, hu-
 manitatis, pudoris, bonarum artium conse-
 queretur. In primis erat cupidus & perspi-
 ciendæ veritatis & defendendæ. In quo in-
 tegrum & rectum ingenium magister Heltus
 sollicito studio & assiduis monitis confirma-
 bat. Non credat aliquis, præfertim in hac
 tam breui consecuta omnium desidia & lan-
 guore, quantum vna hi vigilarint, quid operæ
 impenderint lectioni, quam anxie exquisue-
 rint dubia, quam religiose iudicarint de con-
 trouersis. Libri, quibus vsi fuerunt, testimo-
 nium dicunt maximi & infiniti studii ac defa-
 tigationis in discendo: quam non modo non
 tolerare potuissent, sed ne subire quidem
 omni-

omnino voluissent, nisi & diuina quadam ani-
mi incitatione mouerentur, & cognitionis
dulcedine inuitarentur, & successu recrearen-
tur. Præsertim quum res plena inuidiæ, ne-
que conatus expertes periculi essent; quod
intelligeretur Princeps animum cogitatio-
nesque suas intendere explorationi causa-
rum, de quibus discordia in Ecclesiastica do-
ctrina extitisset.

VIII. Accessit postea morbus acerrimus,
cuius vis ita labefactauit corpus, vt toto vitæ
tempore deinceps valetudo imbecillior affli-
ctiorque fuerit. Inprimis molesta ab hoc &
incommoda Principi oculos debilitatio corri-
puit. Sed inter hæc aduersa tantum ille ta-
men quotidie, absque vlla intermissione, le-
git, scripsit, dictauit, commentatus fuit, quan-
tum non alii multi in hac mollitia vitæ & fasti-
dio & inani persuasione scientiæ, qui profes-
sionum cultum operas doctrinæ exercent.
Quid ego de iis horis memorem, quas desti-
natas impendebat piis precibus, toto pectore
implorans opem æterni Dei, & venerans nu-
men illius, & Filio Dei commendans consilia,
actiones, salutem suam, & commendans illi
accisas res Ecclesiæ multipliciter laborantis, &
gratias agens benignitati ipsius conseruantis
hanc in tantis periculis. Quid de interpella-
tionibus dicam? Nam quod omni fastu super-
bia

biæ careret, patebat aditus ad eum cuius:
 quod autem voluntas illius benefica & proli-
 xum studium subleuandi vniuersos, atque
 etiã prudentia, eruditio literarum, pe-
 ritia maximarum rerum nota erat, eo fie-
 bat vt ad eum confugeretur vndique, siue ali-
 cui defensione, seu consilio, seu quacunque
 re opus esset. Sed omnia magis conspicua
 fuerunt postquam hic Princeps propriæ & suæ
 gubernationis quasi habenas tenere cœpit;
 quum & illustrissima Mater decessisset, quæ
 terras reliquit anno Christi MDXXX. & post
 annos non multos Princeps Iohannes frater af-
 finitatem cum domo Brandenburgensi contra-
 xisset, ducta coniuge vidua Pomeranica. Nam
 ante omnia amorem & coniunctionem frater-
 nam sic stabiliuit, vt illa inter tres fratres con-
 cordia nihil firmitus neque dulcius fieri potue-
 rit: eratque difficile decernere, vnusquisque al-
 terum magisne & studiosius veneraretur atque
 obseruaret, an ardentius diligeret & arctiore
 beneuolentia complecteretur. Tum ad au-
 gendam & ornandam ditionem paternam ani-
 mum conuertit, quam & ædificiis luculentio-
 rem, & ordinatione gubernationis fructuosi-
 orem reddidit, distinctis sedibus quas singuli
 tenerent tanquam suas, quum possessio com-
 munis totius trium remaneret. Hæc iustitia
 & sapientia Principis Georgii sic fuere consti-
 tu-

tuta atque explicata, ut nullius unquam vlla
de re querela aut reprehensio cognita sit.

IX. Quum autem pars esset & membrum
collegii Mersburgensis Ecclesiæ, in quo non
ætatis sed cooptationis tempore celeriter pri-
mas obtinuit, perquam libenter illo loco de-
gere solebat; atque arbitrabatur quum vale-
tudine se ibi meliore uti, tum esse animo ala-
criore & hilariore. Eam opinionem de consue-
tudine puerilis educationis manare plerique
credebant. Feruebat iam contentio de præci-
pui capitibus religionis, quæ præpostero stu-
dio & temeraria confidentia quorundam ex-
citata atque aucta, ubi nunc etiam velle insiste-
re, aut quo tandem euasura esse videatur, no-
vit scilicet Deus, hominum quidem certe de-
cernere potest nemo. Nam quum ioculares
errores & ludibria quorundam impudentissi-
morum hominum, quorum audacia, auaritia,
rapacitas in Ecclesia delicias faceret, cum
detrimento maximo omnium mortalium,
notata & reprehensa fuisset, mollissimo ut di-
citur brachio, a quibusdam pia & iusta com-
motione dolentibus, mendaciorum nefario
scelere sanctissimæ doctrinæ veritatem infir-
mari: ita barbaria & improbitas exarsit, &
tanta insolentia pro falsitate contra veritatem
propugnauit, ut prælia maxima & conflictus
acerrimi de principiis eius extiterint, quorum
nunc

nunc etiam meminisse pudet plerosque, tantum abest ut in defendendo perseverent. Princeps autem Georgius quum ante oculos & in conspectu haberet non modo rituum eversionem, qui usu & notitia corroborati essent, sed cunctæ administrationis Ecclesiasticæ conversionem, patefacta corruptione doctrinæ & vitiis indicatis, neque fugeret eum quid turbarum & miseriæ ex ea re euenturum consecuturumque esset: quia tamen & cogitando, & quærendo ex aliis, & cum bonis doctisque ac piis communicando quæ sibi in mentem venissent, compertum atque exploratum habebat, veritatem doctrinæ cœlestis & præconium Euangelii partim obscuratum superstitione, partim calliditate depravatum sic esse, ut non dissimulari errores ac imposturæ etiam quædam neque tegi posse diutius viderentur; re anxie considerata, & imprimis cum optimo viro & homine fidelissimo Georgio Helto deliberata, omnia negligenda & posthabenda veritatis confessioni & assertioni, & evidentem atque perspicuam interpretationem sacrarum literarum, speciosæ opinioni & ostentationi catholicæ consensionis proponendam esse statuit. Quum quidem intelligeret, depravationis aut lapsuum aduersus sincera & recta neque valere ullam consensionem neque nominari oportere. Statim

tim enim a primo quidem initio a veris falsa
dissentiant & recedunt, sed non statim quan-
tum discrepent manifestum est, id quod, ut in
itineribus diuersis, procedendo magis apparet,
donec tandem ita procul illa disiungantur, ut
ad plane aliena & absurda digressio abducatur.

X. Differuit iis de rebus optimus & religio-
sissimus Princeps cum magnis etiam viris,
quorum aliquos argumentando (quod animo
illi essent simplice & probo) eo perduxit, ut
non tam falsitatis doctrinae correctionem
quam offensionum nomine improbarent.
Nam negari non potest, aduersantibus emen-
dationi capitibus & potentibus, in vulgi exul-
tatione & applausu, inque libertatis auida
vsurpatione, nonnulla facta perpetrataque
fuisse, non ab omni crimine & culpa remota.
Et norunt prudentes homines, quanto cum
periculo constituta moueri soleant, ut prouer-
bium etiam prohibeat καὶ κακὸν κινήσασθαι ὅ γ' εἰ
κείμενον, id est, toleranda peccata aliqua Reipu-
blicæ, neque in hac ruinosa esse conuellenda.
Sed quoties mens contemplari & intueri diui-
nas subiunctiones cœpit, vsque adeo non curat
rationis propriae dictata, ut etiam quum stulte
atque peruerse sentire de maximis rebus, tum
publicam priuatamque rem interdum perpe-
ram & male gerere videatur. De quo
disputare esset longum, & a nobis fieri plus
ver-

verborum in praesentia non est necesse. Georgium quidem certe Principem, ad assentiendum iis, quorum sententiam tanquam abhorrentem ab Ecclesiae usu condemnari videbat, non fuisse impulsus fructu aut gloria nouitatis, manifestum est. Quid enim illustrissimo loco nato, & ingenii doctrinaeque laude summa perfruenti, defuit ad ea consequenda, quae opum abundantia dignitateque honorum pulcherrima & amplissima habentur, praesertim ingresso iam pridem quasi curriculum splendoris atque potentiae Ecclesiasticae? Quin ille potius & famam atque estimationem & rem ac fortunas omnes in discrimen vocari sensit, quum vitae quoque & salutis pericula constantiae in asserendis & confitendis iis, quae vera per se certa fixaque erant animo ipsius, impendere appareret. Sed de his eo breuior esse debet humanae coniecturae oratio, quod moderetur & dirigat talia consilia actionesque peculiariter aeterni Dei numen; quod quale sit, ingenii nostri acies sua uinquam perspicit, & alio ad haec contemplanda lumine opus est, quam quod in mente rationeque hominis esse solet aut potest clarissimum atque fulgentissimum. Accensa autem lux est veritatis caelestis sermone Dei, in tenebris mundi huius, & proposita ad omnium illuminationem in natura nostra, quam Filius Dei indu-

induens corpus humanum sibi adiunxit. Eamque intuentes non aberrant: auersantes autem, aut coniuentes, in maxima mala & interitum ipsum deferuntur & ruunt. Verum de his & aliorum proprium est disserere, & occasio alterius argumenti debetur enarrationi, non inculcandæ huic scripto. Attexamus igitur supra expositis ea, quæ sunt reliqua.

XI. Quum mortuus fuisset Episcopus Mersburgensis tertius a Principe Adolfo, ita res tulit, ut successione legitima & prius observata suffragatione collegii, Episcopus statim fieri crearique non posset: commissa tamen fuit ordinaria rei Ecclesiasticæ cura & quasi dispensatio Principi Georgio. Quod ille imponi sibi onus ut ægre difficulterque passus est, sic & in suscipiendo pietati morem gessit, & perferendo præstitit fidem studiumque assiduitatis & laboris immensi. Atque iisdem fere temporibus Georgius Heltus decessit, claudens vitam in terris suam sine optato & felice, inque veneratione Filii Dei & ardentibus precibus reddens animam suam æterno Deo. Huius migrationem, sua quidem ille causa, grauissime tulit, & eo casu acerbissime est Princeps percussus, (nam cum ipso præclare actum esse intelligebat & lætabatur) & priuatim se esse tali viro, illo statu rerum suarum, dolen

dolenter sæpe questus, non tam fatum ipsius quam suam orbitatem deplorauit. Omnibus autem pietatis summæ officiis mortuum prosecutus, quum monumento ornari sepulcrum, tum cetera, quæ se velle testatus fuerat, fieri curarique iussit. Instruxerat Heltus bibliothecam copiosam & amplam, inque illam patrimonium facultatesque suas impenderat. Eam cupienti Principi libenter reliquit, petiit tamen vt suis propinquis etiam hoc nomine certa pecunia persolueretur; & vt collocaretur altera quædam pecunia, de qua singulis annis in sua patria adultæ & pudicæ virgini pauperculæ mediocris summa in dotem penderetur. Quum quidem ipse caelebs sine omni non modo crimine, sed suspitione etiam libidinis, consenuisset. Hæc Princeps executus est statim summa fide & liberalitate se digna. Ac paullo post multo vehementius & cupidius præsentiam illius cœpit desiderare, quum post obitum Martini Lutheri (quo auctore & doctore veritatis cœlestis doctrina in Ecclesias & Scholas reuocata, & præconii Evangelici vox, post diuturnum silentium & repressionem, clarius & plenius sonans emissa fuit) ea negotia Rempublicam conturbarunt, quorum quum omnibus bonis recordatio acerbissima & tristissima sit, non est quasi agitata expositione nostra communium calamitatum

tatum mœstitia. Quas quoties reminiscor, & cohorresco tota mente, & deploro fortunam patriæ. Cui quum offerretur omnium rerum expetendarum præclara copia, vt & opibus & viris florere posset, & quum virtutis tum sapientiæ eruditionisque laude atque gloria præstare cæteris nationibus; subito casus quidam hanc iecit in maximum & præsentissimum omnis prosperi euentus certamen atque discrimen, vt deueniret in eas asperitates atque angustias rerum omnium, vnde quo pacto aut quando emerfura sit, humana ratione & prudentia constitui definiri que non posse videatur. Nam & exitialis tumultus (causis bellorum aliquantisper diuina magis benignitate, quam voluntate hominum retardatis) tum erupit, & perniciofa arma expedita, & distracta studia alienatique animi fuerunt, non modo popularium ac ciuium, sed consanguineorum & naturæ necessitudine deuinctorum. Sed quum pudore tum dolore prohibeor, quominus vrgeam mentionem turpitudinis & detrimentorum gentis nostræ; & patriæ clades atque ignominiam, quoniam auerti non potuerunt, obliuione obrui posse optarim, vt nostra propria ista mala & dedecora sint, neque quicquam de his ad posteritatem deriuetur. Quapropter hætenus attigisse illa incurrentem narrationem nostram satis sit.

XII. Erat ea tempestate in sanctissima & his regionibus salutari curatione occupatus Princeps Georgius. Quos poterat, iuuabat aut consulendo aut re, ceteros aut consolando erigebat, aut docendo instruebat. Onera autem, quibus iam opprimi cernebat partiam, alleuabat pro viribus. Nam & grassantis quasi pestis impetus si frangi posset & processio impediri, tentabat atque conabatur omnia; & spe opinioneque eum frustrante, ad functionem muneris sui & Ecclesiasticam curam conuertebatur, quum ad populum ipse concionando, tum diffluentem coetum Ecclesiasticum recolligendo, tum etiam (iam omisis vel abiectis potius solennibus sacrorum ceremoniis) instituendo vbique ritus cum veritatis doctrina & vsu religiosæ antiquitatis consentaneos, qui in hodiernum vsque diem seruantur atque durant. Non autem is erat Princeps Georgius, qui non necessariis mutationibus delectaretur, quiue gauderet nouitate. Ac potius, nota sibi & vsitata libenter & studiose retinenda ducebat, neque quicquam non modo temere mutandum, sed ne omittendum quidem esse censebat, in quo non impietas aliqua haberet, vel quod non abhorreret a doctrina veritatis cœlestis. Quumque putaretur esse nimis deditus ceremoniis, de iis, quæ oblata essent, quoque tempore accurate quum ad Lu-
the-

therum ipsum, tum alios, referre consueue-
 rat, vt omnia semper incepta & facta non mo-
 do veris rationibus, sed præcipuorum etiam
 virorum autoritate, defensa munitaque habu-
 erit. Quid autem hoc profuit? Quum reper-
 ti sint, qui illum quasi parum fortem & strenu-
 um propugnatorem Euangelicæ doctrinæ ac-
 cusarent, & quicquid egisset inhumanissima
 censura carperent, ac pene cruentis notis de-
 signarent. Erant in Germania res illa tem-
 pestate confusæ & turbulentiæ. Nam & Cæ-
 saris potentia formidinem incutiebat omni-
 bus, & multis in locis quædam paullo ante
 conuulsa instaurabantur, & ad formam prio-
 rem ac statum veterem pleraque reduceban-
 tur. Inter hæc aliqui omnia quæ gerebantur
 vituperare, & vehementibus animis refragari
 quietis consiliis, neque vllam submissionem
 aut concessionem probare. Id qua affectio-
 ne ab vnoquoque factum sit, neque ego pro-
 nunciare volo, neque de sententia & volunta-
 te vllius iudicium facere debeo. Sed res ipsa
 plane ostendebat, partium in Republica dissen-
 sionibus excitari illas quoque magna ex parte
 alienationes, neque tam quid verum & rectum
 esset spectari, quam indulgeri inclinationi &
 fauori, quum causam quampiam aut homi-
 nem aliquis esset secutus. Itaque non hoc age-
 batur, vt certo res cognosceretur, neque in-

corruptum ut fieret iudicium de compertis, sed ab iis, quos aduersarios vnaquæque factio se habere credebat, quicquid diceretur aut fieret, id inclementer & sæuis insectationibus exagibat. Colligebantur autem curiose vndique rumusculi, & indicationes multæ leues atque inanes, de quibus vanissima & inconsentanea permulta in vulgus spargebantur; cuius aures semper obtrectationibus & probris patient, quodque iis facile capitur quæ suspiciose & maligne declamitantur. In hoc enim & imperitia & contumacia & peruersitas plurima inest, & ut ait Pindarus: *ἴσχυρόν ἔχει ἡτορ ὁμιλοῦν ἀνδρῶν ὁ πλεῖς*. Ut autem si coloretur speculum, verbi causa, minio aut cœruleo, omnia quæ apparent eodem colore conspiciuntur, ita animus oblitus inductionis persuasionis, secundum hanc iudicat atque pronunciat. Tantum autem valet, si quid arripuit studium & propensio, aut reiecit fastidium & malevolentia, ut non modo tunc consideratio omnis excludatur, sed errori etiam pertinaciter obtemperetur. Quale est quod de Aristide traditur. Quum enim de hoc suffragia inirentur decem annorum exilii, quæ testis perscribi mos erat, venit vnus illiteratus ad Aristidem, & oblata testa petit ut Aristidis nomen inscribat. Interrogat Aristides, numquid mali ab hoc ipsi aut damni datum sit? Immo,

mo, inquit ille, ne noui quidem hominem, sed fama & vociferatione aliorum moueor, & celebritas nominis odiosa est.

XIII. Plausibilis autem erat maxime ad nostratem fere multitudinem infamiae notatio, qua aliqui *Papistici* nominarentur. Atque id obiectum cui foret, eius statim existimatio ita laedebatur, vt de ipso e vulgo vix quisquam deinceps aliter quam de homine deterrimo sentiret. Neque negari potest aut debet, quin istud genus, dominationis & principatus cuiusdam alieni occupatione in Ecclesia insolens & superbum, quum doctrinae caelestis puritatem contaminarit, tum morum sanctitatem & seueritatem disciplinae sustulerit atque violarit, vt illius societas & commercium iis qui in fide Jesu Christi permanere voluerint, magnopere vitandum fugiendumque esse videatur. Sed non est tamen etiam laudanda ferocia & iniquitas eorum, qui hoc conuicio, de quauis similitudinis specie, aliquos, quos oderunt aut a quibus se separauerunt, statim adoriuntur, & hos conantur ad vulgus reddere inuidiosos. Atque mihi hoc loco, quid quidam vir honoratus & doctus dixerit, referre libet. Qui quum aliquando de mutata pictura imaginis Jesu Christi in alteram priscae historiae Abrahami, vt videor meminisse, interrogatus esset, ecquid

placeret consilium? Mihi vero, inquit, valde displicet. Quamobrem autem, inquit alter, displicet? an tu veterum patrum effigies exprimendas non putas? Non hoc, inquit ille, ego dico: sed de Christi priore imagine agnoscere potuisse, quod iste coetus esset nominis Christiani. Idem in hyeme, quodam querente frigus esse molestum pedibus; Quin tu, inquit, super calceos soleas inducis? quumque ille respondisset: morem eum esse Papisticum; Age igitur, inquit, si, quod mirifice ab istius generis consuetudine abhorreat, sequi cupis, non pedibus sed capite insistere velis. Hac si venusta esse & urbana aliquis forte non existimet, certe neque infaceta sunt, & ineptias istas immodicæ vehementiæ hac in parte notando opportune obiurgant. Atque hæc connumeravi, non ut pro optimo & sanctissimo Principe dicerem, qui sine defensione non modo purgatus bonis omnibus, sed eam quoque laudem & admirationem adeptus esset, quam alius in nostra gente nemo: sed ista quasi disputatio hoc vult efficere, ut ieiuni & angusti animi & malevolentia prauitas (quæ interdum admodum est occulta) excutiat, utque & huius talis Principis, & aliorum quorundam egregiorum virorum, pietatem, sapientiam, virtutem, labores, opera, pro sua quisque parte imitari atque sequi, quam inuidia pre-

premere aut odio infectari malit. Magna autem iam profecto est penuria grauium, constantium & fortium virorum, qui neque temere quicquam commouendum esse statuunt, neque se magis diligant & pluris faciant, quam salutem & dignitatem Reipublicæ; quique difficilia & dura, si necesse sit, tolerare ac perferre valeant, & non tam reluctando aduersis tumultuentur, quam patiendo sæpe magna mala auertant, vel certe mitigent. Errant enim magnopere, qui fortitudinem putant esse præposteram, vel etiam præcipitem audaciam & impetum animi concitati; quum hæc ipsa reuera sit timiditas atque formido, quæ impendentes molestias, & ea quæ metuuntur incommoda, effugere aut differre, ruendo & moliendo omnia, conatur atque gestit. Sed redeo ad rem.

XIV. Tempora illa erant difficilia & dura. Deque religionis cultu tractabantur atque promulgabantur ea, quæ Germaniam quasi terræ quodam horribili motu concusserunt. Aliis igitur in locis exultare & gaudere homines, aliis contristari & dolere, aliis trepidare & metuere, aliis fremere & tumultuari. Atque erant sane negotia eiusmodi, vt maiorum dissipationum causas multiplices complecterentur, siue hoc errori & inscitæ aliquorum, seu etiam malitiæ & peruersitati adscribendum esse videatur. His Georgius quoque

Princeps, qui in Ecclesia præcipuo loco curaret, quin implicaretur cauere non potuit. Verum quemadmodum neque conscius aut particeps aut adiutor ille, vllius fraudulentæ, impudentis, mali, perniciosi consilii, neque depravationibus aut corruptelis vnquam assensus fuit: sic in illa difficultate & miseria, quum constantissime atque fortissime tum maxime religiose & circumspecte se gessit. Sciebat se autorem perturbationum illarum non esse, neque culpam sustinere suscitati vnquam belli, aut exorti dissidii, aut natæ offensionis. Quod reliquum erat, suum officium postulare ad Deum & homines animaduvertebat, quasi morbo laborantes res communes non deserere: non quidem iis, a quibus mala immissa essent, inferuentem, sed salutem & incolumitatem publicam consulentem, & in id incumbentem, vt si depellere incommoda & detrimenta non concederetur vniuersa, caput tamen & vita conseruaretur, & interitus atque exitium a corpore Ecclesiæ propulsaretur. Hoc sciebat & æterno Deo gratum acceptumque, & hominibus salutare, & apud bonos & incorruptos iudices sibi laudi futurum esse. Ideo perrexit vnacum aliis doctrina & pietate præstantibus viris in hoc spatio, nihil moratus quid ab inimicis & æmulis impeditenti inferretur proposito & studio optimo atque præclarissimo. Non etiam

etiam fugiebat prudentiam ipsius, opinionum
 commenta, & vanitatem suspicionum, & fabu-
 las futiles, deleri die, & euanescere minimo
 interdum momento & puncto temporis, vera
 & recta durare in longitudinem, & indies ma-
 gis ac magis corroborari. Atque his de rebus
 neque planius & apertius dicere, neque co-
 piosius & argutius disputare libet. Quod ani-
 mus mœrore impediatur propter eas plagas,
 quæ inflictæ sunt rebus communibus, perui-
 cacia & inhumanitate atque præpostero ardo-
 re nimiaque vehementia quorundam, sine
 causa sævitiam adhibentium, & vulnera, quæ
 illigari potius deberent, infesto vngue reddentium
 minus sanabilia. Etiam arbitror mul-
 tos iam dudum audaciæ importunitatisque
 pœnitere; aut si qui nondum intelligunt, quan-
 tum illa iactatione & insolentia incommodi
 damnique publice priuatimque datum sit, cum
 eorum petulantia atque furore insaniat profe-
 cto, qui conflictari amplius velit. Multo enim
 fatius est cedere quam congredi *Bacchæ bac-*
chanti ut ait Plautus, cui *si velis aduersariet,*
Ex insana insaniorem facies, feriet sapius:
Si obsequare, vna resoluas plaga.
 Si qui vero iam more impudentes sunt, & scur-
 rilitatis consuetudine bella esse rentur ac falsa,
 quæ sunt inepta atque deformia, illis fane tan-
 quam Clazomeniis lege Laconica *ἐξέσω ἀγῆν*
μὲν.

XV. Illustrissimus Princeps Georgius curationem & munus suum obiuit assiduitate & fide summa. Non deseruit locum suum, neque alienum inuasit. Non minis verborum, neque angustiis temporum, neque asperis difficilibusque rebus terreri se aut frangi passus est, quominus faceret officium vbique & semper, & asserendo veritatis cœlestis doctrinam, gloriam tueretur nominis æterni Dei, & prodesset quam plurimis. Nulla ille præsidia humana quæsiuit, fretus sola protectione Filii Dei, & illa firmissima turri cultus & fiducia Dei. Non indulsit, vel potius, ne locum quidem reliquit odio, inuidiæ, acerbitati animi sui. Non cupiditatibus frena laxauit, neque prætextu vlllo pro his dimicauit. Non miscuit sacra, vt dicitur, profanis, neque humanis diuina, id est, ciuilem gubernationem terrenasque curas Ecclesiasticæ administrationi atque cœlestis doctrinæ studio. In Regum & Principum consilia actionesque non inquisiuit. Non de externis & alienis, neque pertinentibus ad cognitionem & respectum muneris sui, iudicium fecit. Non damnauit aut absoluit sententia sua, aut laudauit læsitue testimonio vlllos, non penitus causa perspecta & explorata re: ac ne sic quidem, si intelligeret decisionem aliquam quasi litis suo foro non competere. Vt autem molestias patienter tole-

tolerabat, & labores fortiter perferebat, & non defatigabatur vlllo onere officii; ita ambitione penitus caruit, factionum plane hostis, & neque gloriam neque opes vnquam concupiuit. Atque illi, quam veluti spartam, secundum vetus verbum, fuerat fortitus, præfuit. Non, tanquam Apostolicam personam gerens, generalem animaduersionem sibi vendicauit, neque in aliorum quasi prouincias inuasit; quid ipse fecisset, præstandum sibi existimans, non notanda aut insectanda facta aliena. Sanauit, quæ potuit: in quibus medicinam superauit malum, illa tamen neque imperite faciendo, neque crudeliter laniando, plus mali intulit quam adiumenti attulit; tantum abest vt vel temeritate atque imprudentia, vel perturbatione & iracundia, noua & recentia vulnera fecerit. Docuit, legit, scripsit, consuluit, monuit, fideliter & vtiliter, quicquid potuit. Non labores fugit, non vitauit tædium, in omnibus iis obeundis, quibus Ecclesiæ & rebus communibus opera nauari posse crederetur. Denique sese exemplum præbuit boni pastoris, omnibus in partibus tam doctrinæ quam disciplinæ: quarum illam purissimam, & sincerissimam, hanc integram, quoad licuit, & incorruptam præstitit.

XVI. Singulari autem attentione & præcipuo studio habuit conuentus eorum, qui in
illa

illa regione præerant Ecclesiis. Quos & convocare stato tempore, & coram præsentibus verba facere solebat, sic illos ut quaque occasione necessariis subiectionibus intrueret, & emendaret comperta vitia, & præciperet quid facere quid omittere deberent. Tum deinde amanter complexus uniuersos, ita acceptos liberaliter & tractatos benigne, ad suum quemque gregem reuerti iubebat. De argumentis autem concionum quum ipse solícite cogitabat, ut idonea & temporibus, rebus, personisque aptissima deligeret, tum de illis absque simulatione referebat ad eos, quos doctos & bonos & communium commodorum amantes esse cognouerat: a quibus non modo æquo, sed grato etiam animo patiebatur admoneri se, & sibi aliquid utiliter & recte monstrari. Perfecere tunc quidam, ut in liberam atque vacuam sedem Mersburgensem, non de collegio lectus, ut ante, Episcopus collocaretur, sed ut postularetur administratio alterius absentis. Quo tempore declaratum fuit religionis in hoc Principe studium, cum prudentia coniunctum. Vel potius apparuit, Deo illum esse carum, regenti voluntatem ipsius & moderanti animum, ne quid vel negligenter vel cupide ageret. Quum enim, Externi potestati suo suffragio Ecclesiæ administrationem committere ut dubitaret, maximis atque grauissimis ratio-

ratio-

rationibus moueretur ; veritus fuit ne ipse appetere illum principatum videretur, si eum, qui commendationibus eximiis producebatur, quasi repudiaret. Anxia admodum fuit his de rebus optimi Principis deliberatio, atque animum nunc huc celerem nunc illuc diuidebat, in partes rapiens varias perque omnia versans, quemadmodum de re multo leuiore Maro cecinit. Sed antetulit cunctis rationibus & rebus, custodiam veritatis cœlestis & gloriam æterni Dei. Itaque legitima & solenni attestatione distinxit atque definiuit negotium, professus se nemini obstare ad potentiam & principatum gubernationis ciuilis aspiranti; sed cuicumque hic locus ab illis, penes quos istud ius esset, assignaretur, eum se debita reuerentia obseruaturum esse. Ad præsidem vero & moderatorem rei Ecclesiasticæ quod attineret, se, nisi quem Euangelici præconii fautorem, & gnarum doctrinæ veritatis cœlestis, & ita animatum esse sciret atque nosset, vt huius puritatem custodire, neque consensionem sanctæ harum regionum refragari vellet, quo minus permitteret Ecclesiæ suæ præfici Episcopum, prohiberi conscientia officii & fidei, quam Deo & hominibus persolvendam sibi esse meminisset. Inque eo constantissime perseueravit, quemadmodum actiones consecutæ & reliquus cursus vitæ ipsius demonstrat.

XVII. Diligentiam quidem, qua vsus fuit in omnibus perpendendis, considerandis, exquirendis, ne esset vlla in parte assensio temeraria aut præceps aut deuia, comprobant quum alia, tum perscriptæ conciones, quas de grauibus & præcipuis controuersis ad populum vernaculo sermone habitas putauit esse edendas. Quæ & leguntur & legentur semper ab iis, quibus cordi est veritatis perspicua explicatio, magis quam litigiosa superuacuæ contentionis loquacitas, aut etiam inanis strepitus verborum orationis in consentaneæ & turbulentæ, & multa quidem vndique quasi corrogantis, sed ita vt neque rerum causæ, neque suscepti negotii ratio, neque vlla argumentatio diserte exponatur & demonstratur. Tanta autem erat religio in Principe Georgio, vt, quum eum non fugeret, quanta esset humani ingenii ad lapsus & errata procliuitas, non illi satis haberet, si rationem & veritatem quæstionis alicuius sibi esse perspectam arbitraretur; sed quid veteres sensissent tradidissentque perquirere & plane rimari non omittebat. Ac magnopere lætabatur, si (vt in plerisque omnibus) animaduerneret, non discrepare illorum doctrinam a sua, quam auderent imperiti & leues quidam nouitatis nomine reprehendere. Idem moleste ferebat, præsidentes in Ecclesia tam negligentes atque socordes fuisse, vt

fan-

sanctissimam religionem, tantis praesidiis vni-
 dique munitam, non tuerentur atque conser-
 uarent. Execrabatur etiam ambitionem at-
 que cupiditates eorum, a quibus admissa vel
 etiam accersita superstitionis auxilia essent, ut
 vulgi animis deuinctis atque captis, liberius &
 augere opes atque potentiam, & securius vo-
 luptatibus vacare, & in luxu bene victitare ipsis
 concederetur. Atque hic non euerti neque
 destrui, si qua adhuc starent, neque ruinosa
 funditus excindi delerique, sed fulciri ac sar-
 ciri optabat. Non ille quidem ut falsa appro-
 barentur, aut impietas dissimularetur, sed ut
 haec tanquam rupta aut contrita rescinderen-
 tur, & quae possent cohærere ea, ut consueren-
 tur potius, quam diuellendo lacerarentur.
 Neque assentiebatur ille vehementiae & im-
 modico ardori quorundam, qui inclementis-
 sime insectari aduersarios, & omnia nota at-
 que vsitata in odium ad vulgus rapere sole-
 rent. Praesertim quum videret, rebus mu-
 tatis interdum, neutiquam tam magno animo
 fortunæ iniurias perferri, quam ferociter & ar-
 roganter saepe aliqui locuti fuissent. Mouebat &
 hoc considerationem optimi Principis, quod
 non ignorabat, confidentiam in rebus secun-
 dis plerumque esse alacrem, tanquam equum
 de pabulo pleniore exultantem. Itaque di-
 cere solebat, sibi interdum venire in mentem,
 op-

optandum esse ut metus periculorum semper aliquis immineret, rebus tamen saluis. Id enim utile sibi videri ad curam & studium magis assiduum & attentum, tam in deprecando Deum, quam reprimendo quasi gestientis affectus animi impotentis & elati. Irritationes autem periculorum & violentiæ magnopere fugiendas esse censebat, quum ipse nequaquam formidolosus, ac potius meditando prævidendoque, quæ & possent accidere, & forti viro essent perpetienda, ad omnem vim & impressionem fortunæ paratus instructusque esset. Memorabat iis de rebus tradita historiis veterum, quæ infeliciter in hoc genere interdum fuissent tentata. Atque ego, inquit, si ferocem ac sæuum canem alligatum laceßere non desisterem, ille vero iracundiæ impetu concitatus prosiliendo vincula abrumperet, & me corriperet atque concerperet, quemnam obsecro nisi meam stultitiam ac proteruitatem accusare possem? fieretque hoc pacto, ut ad detrimentum & malum, quum ab aliis irrisorum a me pœnitentiæ dolor accederet.

XVIII. Quum vero natura atque ingenium in hoc Principe esset optimum & ad omnem laudem idoneum, studium autem & industria hoc perfecisset, ut honestæ actionis nullius exempla non conspicerentur in ipsius vita; clementia tamen & moderatio & benignitas
(di-

(dignissima principe viro & illustrissima virtus) potissimum & clarissime in eo eminere atque elucere visa. Patientia quidem fuit & lenitas atque mansuetudo tanta, ut neque indignantem in aduersis, (quæ est expertus asperissima) neque iracundia incensum, neque propter iniurias frementem, quisquam viderit: quum quidem & generis & dignitatis & fortunæ excellentia, si commoueretur vehementius, reprehensione eum liberare potuisset, & si quando excedere extra modum videretur, in eo iustissimi doloris perturbationem & communem imbecillitatem caussanti, ignouissent facile vniuersi. At hic ne de pertinaciter quidem infensis & maledicis obrectatoribus questus vnquam est inclementer, aut impotenter stomachatus: tantum abest, ut vel verbo ipse in aliquem atroce inuectus fuerit, aut de ore suo emiserit orationem in alterum contumeliosam. Ac potius ea quoque, quæ in suam personam per ignominiam falso dicta dicerentur, quum interpretando mitigare, tum contemnendo obliterare conabatur. Constantissime autem perseuerabat in iis, quæ vera aut recta esse perspexerat neque vlli alteri magis quam suæ conscientia fidebat. Interfuit multis magnis & grauibus, atque necessariis tractationibus, de quibus divulgabantur plane hostiles increpationes,

D

de

de negotiis quidem, quæ erant in manibus, plurima temere effutientibus, ignaris tam consiliorum quam actionum omnium. Etsi autem grauius molesteque ferebat clementissimus Princeps, illis fabulis multorum animos fauciari; tamen & diuini nominis atque numinis respectum, & publicam salutem, & exploratam vtilitatem, prætulit famæ existimationique suæ & rebus aliis omnibus. Atque ego vel admodum fallor, vel quamplurimorum vota talem timiditatem & tergiuersationem, qualis ab æmulis optimo & innocentissimo Principi obiecta fuit, exoptant, præ quorundam confidentia & excursionibus. Atque nunc maxime requirunt seueritatem placidi illius, & attentionem indulgentis, & auctoritatem gratiosi, & obsequia veracis, & modestiam constantis, & cautionem fortis & viri & principis. Vsque adeo verum est, tum demum intelligere homines sua bona, quum, quæ in manibus habuere, ea amiserint.

XIX. Non tamen eodem modo sentiebat Princeps sapiens & pius, & loquebatur de omnibus. Sed quos crederet in profanitate esse improbos, aut oblitos officii sui & salutis aliorum præcipites ferri, & inconsulto atque amenter ruere, eos refutare verbis solebat grauius & interdum durius. Quos vel implicatos errore teneri, vel inscientes aberrare
a via,

a via, vel falli imprudentes arbitrabatur, eorum misericordia se tangi significabat, & deplorabat infelicitatem, & Deum orabat, ut ad veritatis cognitionem ipsorum intelligentiam voluntatemque conuerteret. Ac quodam tempore quum in sermonem his de rebus incidisset, atque aliquis recitasset de Plutarcho Themistoclis dictum: ut ex ferocissima sobole equestrium pullorum præstantissimi equi evaderent, si curarentur sedulo, sic ingenia elata ad summos laudis gradus ascendere; Quid, inquit Princeps, sapientia humana probet, non quæro, sed hoc mihi persuadet sacrarum literarum doctrina, abiectos a Deo erigi, & contritum atque spiritum afflictum non despici, quo ille castissime colitur, & hoc ut sacrificio acceptissimo in primis delectatur: parvos, humiles, fractos, Maiestas, inquit, cœlestis omnipotentis Dei favore benignitateque & misericordia complectitur. Recitabatur aliquando eruditi superiore ætate hominis gratulatio ad Paulum III. Pontificem Max. qui Deorum immortalium munere ad tantum fastigium euectus esse perhiberetur: ibi Princeps Deum immortalem, inquit, quam non modo prava & mala, sed stulta quoque & incogitans est impietas? Ista tamen loquerentur ipsi vel garrirent inter se, non etiam divulgarent & proferrent.

XX. De Iacobo autem Sadoleto quum forte verba in mentione hominum ordinis illius fierent, & recitarentur quædam de scriptis epistolarum & aliis huius; valde sibi dolere ostendebat naturæ minime peruersæ seductionem, siue aliorum sequentis ductum, seu propriæ rationis subiectionem. Atque sperabat, si non fugeret instructionem veritatis, facili momento in viam illum rediturum esse; quod neque approbaret, atque potius magnopere vituperaret impietatem & scelera in re Ecclesiastica hærentia & implicata. Sed quantum est, inquit, mali in omni quæstione, non videre neque causas controuersiarum, neque in quo quasi cardine vertatur res de qua agitur, & argumentis incertarum dubiarumque summationum confirmare ea, de quibus ambigitur? De illa enim licentia statuendi & decernendi, deque non ecclesiastica sed regia potestate principatus, iste profecto deducit cætera. Quum aliquando, quid idem de satisfactione & purgatorio scripsisset, referretur; Hiccinæ, inquit, sibi persuadere potuit, penetrasse intra sensum arcanum Pauli, quo ille epistolam ad Romanos composuit? Atque solebat tali oratione uti ad ostendendum, quantum valeret opinionis error, & alios ad studium religionis atque veritatis curam cohortandos.

XXI. Ac animaduerto me narrando iam attingere interiorē & quasi priuatam vitæ consuetudinem Georgii Principis. Quæ fuit profecto eiusmodi, vt in ea optimarum disciplinarum & artium cultura admodum esset perspicua, & literarum cognitio veluti purpuræ nitor fulgeret. Prima quidem erat precationum cura atque opera. Etiam instituto illius ad epulas aliqua pars de sacris Scripturis recitabatur, & ipse inde memoria comprehendere solebat, de quo postea disputaret. Singularem autem Hebraicæ linguæ scientiam sibi parauerat studio suo. Itaque multa tum luculente explicabantur, & erant sermones pleni pietatis & venerationis æterni Dei. Nec non aut tam de Republica, quam priuatis negotiis, prudenter differendo, aut de studiis & literis erudite modo quærendo, modo suam sententiam ostendendo, vtilia & polita colloquia ferebat. In cæteris vrbalitas quædam iocorum admiscebatur, in quibus neque quod dictu turpe esset, neque quod alterius famæ atque nomini maculam inureret, quicquam audiebatur. Ipse neque de iurationes interloquendum vnquam, neque execrationes, vel leuissimas, vsurpabat. Quod ideo narrandum duxi quia iam fere neque vehementer neque asseueranter dici aliquid putatur, nisi auctum religiosa confirmatione, aut increpatione

tione sæua. Si qua sententia præclara & dictum graue commemoraretur, mirifice cernebatur ille tunc lætari, præsertim si quid esset eiusmodi, vt argumentationem prudentem instrueret, aut etiam complecteretur, quæ Græci ἐνδομήματα & ἐπιχαρήματα nominarunt. Qualis hæc est Gregoriana: *Præstat vinci bonis, quam malis vincere.* Cui auditæ pene applaudere visus est. Itemque huic: *Nemo est curiosus quin sit maleuolus.* Nam colligebat differendo vere & prudenter, quare ita esse oporteret, quemadmodum illo dicto pronunciaretur. Memini aliquando hæc referri coram illo:

*Prima est hæc ultio, quod se
Iudice nemo nocens absoluitur.*

Paullo autem ante quæsitum fuerat de Socratis historici sententia: *Honestæ & bona, ubicunque reperiantur, ad veritatem pertinere.* An dubium est, inquit Princeps, de illo sic satis impuro scriptore, tanquam luto, hanc veluti gemmam excipiendam, & quasi in veritatis aurum includendam esse?

XXII. Sed & ipse sententias multas præcipuas & memorabiles de animo sapiente promebat. Quum de periculis horum temporum aliquando querelæ coram eo (ita vt fit) vsurparentur, & fieri indies maiores distracti-

ones

ones perhiberetur: *Non ego, inquit, tam ad-
 versationes metuo, quam inconsentaneam con-
 sensionem.* Solebat & hoc dicere: *valde,
 optandum esse, ut quisque tam diligenter ad se
 respiceret, quam acriter inquireret in alios.*
 Sacram scripturam *fascias* appellabat, in quibus
 aiebat *inuolutum esse puerum Iesum, & nisi il-
 lis explicatis non posse hunc conspici.* Contu-
 meliosos & saeuos in alios, docere aiebat, *quid
 conuersis rebus in se esset statuendum.* Dice-
 bat: *minis & consumi magnam partem pœnae,
 & admoneri ut cauerent eos, quibus illa inten-
 tarentur.* Quum audiret aliquando narrari,
 daemoniacam quandam interrogatam: quod-
 nam esset peccatum maximum? exclamasse,
superbia; Id quidem de mendace spiritu non
 discemus, inquit; sed verum esse oportet,
 quum Scriptura doceat: *Deum resistere super-
 bis.* Memorabatur quodam tempore, multa
 esse euersa & abrogata, vsurpata olim perpe-
 ram: *id quidem se probare aiebat, sed optare
 etiam, ut restituerentur & instaurarentur recte
 olim vsurpata.* Inter colloquia risus inter-
 dum admiscebatur. Atque delectabatur ipse
 fallaciunculis, quibus deceptum si aliquem vi-
 deret, adiuuabat illius dubitationes seuero
 vultu, donec re intellecta communis existeret
 hilaritas.

XXIII. Cibo & potu pro conditionis & loci ratione, & corporis etiam habitu, utebatur eo, qui a mediocritate non recederet, quum apud se nemini quicquam deficeret. Quum autem de morbis valetudo infirmior, & corpus sua natura validum & dignitatis specie pulchrum, redditum esset debilius, atque in aetatis quadam adhuc viriditate quasi adhuc senilius, neque ipse tamen laboribus modum statueret, nonnunquam languoribus conflictabatur. Ac proderat, si mane sudor eliceretur, tum enim grauedinis molestiam, quam saepe experiebatur, sentiebat alleuari. Crebris inambulationibus utebatur, ad quas assuefactus fuerat a magistro Helto, qui in illo genere esset pene immodicus. In talis vitae spatio quum inchoasset annum quadragesimum septimum, post grauiiores & periculosas magis tentationes morborum, in lectulum depositus, cunctis rebus ordinatis, & omnibus cogitationibus atque tota mente ad Deum conuersa, in confessione religiosa atque fideli, & imploratione Filii Dei, quem sanctissime coluerat, & cuius nomini seruierat omne studium ipsius, & precibus ardentissimis, ut sancti Spiritus agitatione fides & amor in Deum & spes salutis ac vitae aeternae luceret continue in animo suo, ita tandem in mentione Jesu Christi placido sine acquieuit, sine vlla vexatione & concussione

cor-

corporis & animi, XVI. Cal. Nouemb. anno
Christi MDLIII.

XXIV. Atque sanctissimo & beatissimo illi
nunc quidem, vt illustrissimo & reuerendissi-
mo dum vixit, viro ac Principi, nihil accidit
acerbitatis, ac potius felicitatem ipse speratam
est consecutus. Ita enim euentum mortis eius
interpretari nos decet, qua & cœlestem hære-
ditatem adiit consors Filii Dei, & opportuno
tempore decedens, Reipublicæ & patriæ cala-
mitates cernere atque deplorare desiit. Nos au-
tem spoliatos tali viro ac Principe, esse in luctu
ac squalore necesse est, requirentes consilium,
fidem, sinceritatem, autoritatemque illius, dif-
ficillimo statu, & perturbatis rebus omnibus, &
non dubiam ruinam minantibus. Sed nostram
fortunam ferre, vt possumus, studeamus. Illum
veneremur, & quamuis migrauerit a nobis, &
salutaris gubernationis reliquerit functionem,
colamus memoria inclyti nominis & recorda-
tione beneficiorum, & ita nostras, quibus an-
gimur atque affligimur, curas ac miseras con-
solari sedareque conemur. Atque oremus
Filium Dei, Dominum nostrum Jesum Chri-
stum, vt ipso ducente & sequi possimus vesti-
gia quæ in hac ille vita impresit, & in assertio-
ne fideli ac constante veritatis cœlestis & do-
ctrinæ Euangelii decedentes, ad eum feliciter
perueniamus, & recipiamur in communitatem

perpetuo colentium atque celebrantium
vnum, verum, æternum, omnipotentem, iu-
stum, clementissimum Deum, Patrem, & Fi-
lium, & Spiritum sanctum, viuentem &
regnantem sæculis infinitis.

A M E N.

*Quia in Narratione hac Georgii Helti facta est men-
tio, quo præceptore usus fuit Georgius Princeps & Joach.
Camerarius; haud abs re fore duximus, hujus & Phil.
Melanchthonis nec non Mart. Lutheri ad illum scri-
ptas Epistolas super ea morte consolatorias
subjicere.*

* * * * *

*Reuerendissimo & illustrissimo Principi
ac Domino,*

DOMINO GEORGIO

*Principi ab Anhalt, Ascania & Bernburgi Domino, Ec-
clesiastica gubernationis Mersburgi adiutori,
Domino suo clementissimo*

S. D.

IOACHIMVS CAMERARIVS.

IAm cognoueram, vt suspicata fuit Clemen-
tia Tua, mortuum esse virum optimum, &
pietate ac fide præstanti præditum, & veritatis
maximum amatorem, *Georgium Heltum*: quo
nun-

PRINCIPIS ANHALTINI. 51

nuncio incredibili dolore sensi affici animum
meum, quum redditæ mihi fuerunt literæ R.P.
Tuæ, vna cum epistolis consolatricibus. Ac
nescio quo pacto tristiores euentus celeriter
fama dissipat, quasi gaudeat malis alienis. Sed
me quum T. R.P. literæ, tum summorum vi-
rorum epistolæ, consolatæ illæ quidem fue-
runt, omnem moerorem abstersisse dicere
non ausim. Iubet Achilles, vt opinor, apud
Homerum, æquo animo ferre mortem eum,
quem interfecturus erat ipse, quod Patroclus
ante mortem oppetiisset, vir illo fortior ac me-
lior. Et sapientes quidam, tam ad se quam a-
lios contra mortis formidinem confirmandos,
eum versum, quem pronunciat apud Poetam
consolator ille, vsurpasse perhibentur,

καὶ θανε καὶ Πάτεγκλ. ὅπερ σεο πολλῶ ἀμείνων.

Idque in omnem euentum tristem valere vo-
lunt, vt hoc subjiciatur, neque primum, neque
vnicum, neque indignissimum aliquid accidif-
se. Sit ita fane, & hac fatali necessitate ac mi-
seria hominum, nos, vt possumus, sustente-
mus. Ego tamen ferreum eum esse puto, qui
non grauiter commouetur morte eorum, qui-
bus vel ipse vel alii non absque magno damno
& malo suo carituri esse videantur. Vel si
Stoicus aliquis sua causa dolere alterum non
censeat oportere, quid affectioni tamen cari-
tatis & benevolentia amoris faciemus? quæ
non

non potest profecto non quasi contrahi, quum se lacerari sentit auulsione eius, in quo ipsa sua uisissima deuinctioe adhæsisset, vel potius concreta fuisset. Quod eo magis cordi nobis est, quo grauius accusari etiam a S. Paulo scimus vitium *ἀσπερίας*, qui est animus expers humanitatis & huius, de quo loquimur, sensus: quum inter extremorum temporum pestes & hanc nominet. Sed de hoc in præsentia uerbosius differendum esse non putauimus. Si quid autem in hoc casu consolari nos par est, subleuari debemus (& nos sensimus) pietate & constantia & fide hominis, quam ille ad ultimum usque halitum præstitit, & per quam resignauit animam & vitam suam Saluatori Christo. Id quod & T. R. P. significat, & ab aliis nunciatur. Hoc igitur leniat ac reprimat dolorem nostrum. Non solum ideo, quia cum eo, qui felicem illum diem suum obiit, his præsertim temporibus impendentibus, de quibus qui sit omnium prudentum metus manifestum est, præclare actum esse iudicamus; sed quod reliquerit etiam piæ & Christianæ decessionis exemplum Ecclesiæ Christi. Quam & prodest huiusmodi piorum in fide Christi migrationibus, & uestigiorum talium impressione instrui atque edoceri; & hæc bona quasi luculentæ hæreditatis, sanctæ ac beatæ mortis, augent, locupletant, ornant. Me autem

tem & indoluiffe præ cæteris omnibus, excepta tua Reuerendissima Clementia, huius viri morte, & consolatione indignuisse, non mirabitur, qui illius non modo erga me puerum studium & fidem, sed erga adultum etiam officia summi amoris cognouerit. Quæ omnia & ipsius de me crebris ac dulcissimis mentionibus, & meis verissimis prædicationibus, T. R. P. intellexit. Philippus Macedonum rex gratias egit diuino numini, quod Alexandrum filium suum nasci contigisset temporibus vitæ Aristotelis. Liceat mihi parua nostratia cum illis ingentibus componere, & ad hoc exemplum agere gratias Deo, qui voluerit in *Georgii Helti*, optimi & sanctissimi & doctissimi viri, disciplinam me tradi, ad quem deductus a matre mea, foemina nec imprudente & pia, atque commendatus illi vt filius, paterni animi affectionem ita sum in hoc expertus, vt si ex ipso natus essem, neque diligentius me custodire, neque ardentius diligere, neque fidelius instituere potuisse videatur. Etsi autem ita me gessi illo pueritiæ tempore, vt non poenituerit eum vnquam vel opinionis de me, vel voluntatis erga me suæ; tamen in illa ætate ea officia grati animi, quæ meritus fuerat, persoluere non potui. Postea autem, quum longo sane interuallo in has regiones rediissem, memoriam quidem beneficiorum ipsius retinui
ani-

animo meo, declarare autem neutiquam potui, partim munificentia tua hunc totum occupante, partim fortuna obstante cupiditati meae. Ita ille suo quidem tempore excessit terris, mihi autem quum immensum desiderium sui reliquerit, tamen hoc cum Tuæ Clementiæ desiderio comparatum paruum videri possit. Sed patiamur quiescere sanctissimi viri manes, qui profecto T. R. P. quum tam caram haberet animo suo, dolere migratione sua & affligi hoc casu non vult, & me quoque putat luctum moderari debere. Quumque fide & religione plenum cor in vita ipsius multis grauisissimis curis fauciatum fuerit, postulat nimirum pietas illius, ut quasi vulnera hæc deplorando refricare desinamus, ita ne ipsius causa, qui beatus sit omnino, nostra autem ut cum ratione & modo moereamus. Hic igitur iam finis sit querelarum & lamentorum nostrorum. Quum autem intellexissem, & gratum hoc futurum R. P. T. & deberi a me superstite officium istud mortuo, epistolas illas consolatorias una cum Epitaphio, quod R. P. T. Georgio suo curaturam sese poni constituit, exprimendas dedi Typographo nostro. Quod consilium & quem laborem oro ut T. R. P. clementer approbet, & me, quemadmodum certe facit, vel Georgii Helti causa, benignitatis suæ favore constanter complectatur. T. R. P. salutem, di-

dignitatem, fortunas omnes commendo Christo Jesu σωτήρι. Lipsiæ XV. Cal. April. anno MDXLV.

E I D E M.

S. D. Etiam ferrum apud Chalybes ait domari βία ἀνάγκης Euripides, neque hanc ullis medicamentis posse reprimi. Etsi autem πάντων μὲν ἀναγκαῖον χρεῖμα ἀνιθεὶν ἔφου, tamen faciendum hoc omnibus, ne nimium doleant, & ut studeant aduersos casus ἐνασσίμως φέρειν. Sed hæc quum & aliis & mihi subieci, Princeps illustrissime, tum illud nihilominus recurrit, ἴσασθαι παραινεῖν ἢ παθόντα καρτερεῖν. Quanquam autem me grauiter afflixerat nuncium mortis carissimi præceptoris & parentis mei Georgii Helti, tamen literæ Reuerendissimæ Clementiæ Tuæ doloris mei sensum quasi curatione reddiderunt acriorem. Verum cum illo est præclare actum, qui & vitam piam felici fine in Christo clausit, & memoriam nominis sui omnibus bonis reliquit. Ego mihi nunc in his regionibus externus & desertus videor. Et quum meam fortunam, tum vero tuam, illustrissime Princeps, non possum non deplorare. Tuam quidem eo magis, quo altiore & magis præcipiti in loco posita Excellentia Tua minus carere potest quasi fulcimente & sustinente manu fidei ac prudentiæ. Profecto enim ille ὄλωλεν ἐπίσκοπος, ut Andromacha de Hectore

ctore ait, qui nullam partem miseræ & afflictæ Reipublicæ non respicere solebat, comprehensam cura & sollicitudine sua. Quis nunc R.P. T. perturbatam consolabitur? quis hærentem expediet? quis in otio exhilarabit in negotiis subleuabit? cum quo Deum inuocans secretiores iunges preces? denique apud quem tristitia ac læta depones? Quid igitur dicam non reperio, sed remitto afflictum animum tuum ad summorum virorum epistolas: nam *Φρενὸς νοσέσης ἐστὶν ἰατρὸς λόγος*. Me quidem sustineo vt possum. Tuæ autem Reuerendissimæ Clementiæ respondissem statim postquam literas illius acceperam, sed subita fui his diebus ægrotatione ita prostratus, vt mihi esset sæpe ante oculos fatum præceptoris mei. Nam *λειποθυμίας* grauissimæ me in febre presserunt; sed fuit *ἐφήμερος* febris, & me spero morbo esse liberatum. Illustrissime Princeps, ita se res habet in hac vita, vt ait Tragicus,

Συμφορὰ ἐλέγξῃς ἐλέγξῃ πέζει θανάτου θνατῶν.
 Ferantur igitur potius aduersa, quam exagitantur indignando. Tuæ Reuerendissimæ Clementiæ gratias ago, quum me sibi curæ fore significat, neque dubito, quin aliquid benevolentiaæ tuæ deriuetur in me de communitate præceptoris nostri, quem scio Tuæ Reuerendissimæ Clementiæ fuisse carum *ἴσον εἶν κεφαλῆ.*

Si

Si quid autem poterit a me proficisci quo inferuiatur Excellentia tuae, in eo non patiar vlllo tempore desiderari studium meum. Bene valeat T.R.C. Lipsiae III. Cal. April. anno MDXLV.

PHILIPPVS MELANCHTHON

E I D E M.

Quum hic nunciata esset mors viri optimi *Georgii Helti*, subita consternatione pene exanimatus sum: ac statim postea comperi, publicum esse luctum omnium honestorum nostri ordinis hominum, quod nemo non dilexerit eum propter eximiam virtutem. Meus vero dolor eo maior est, quod & amicitia inter nos fuit dulcissima, & quum mihi familiarius notus fuerit, magis intelligo, quantum eius interitu iacturam fecerit Respublica. Tuo etiam luctu moueor, qui illum & propter amorem quo eum complexus es, & propter Rempublicam desideras. Quoties iam in deliberationibus rerum magnarum sedens, ac locum, in quo respondere ac conferre sententiam solebat, intuens, eum requires? Etsi autem dolorem tuum adeo non reprehendo, vt probem etiam, & insigne specimen esse pietatis ducam: tamen praecepta eadem, quae in ceteris magnis arumnis nobis proponimus, hic

E cogi-

afflictæ
mpre-
s nunc
is hæ-
abit in
inuo-
e apud
itur di-
m ani-
istolas:
e qui-
Reue-
statim
subita
us, vt
cepto-
e in fe-
s, & me
isime,
it Tra-
ατῶν.
exagi-
disimæ
uræ fo-
bene-
nunita-
eueren-
κεφαλή.
Si



cogitemus. Desiderio nos affici nostrorum vult Deus, vult nos angere & dolere; nec illam toruitatem seu immanitatem potius, quæ nihil mouetur asperis rebus, seu propriis seu amicorum, probat. Ac Filius Dei sæpe expauit ipse, lacrymauit, & acerbissimis doloribus conflictatus est. Sed simul præcipit Deus, vt cogitatione voluntatis suæ & æternorum bonorum, quæ promisit suis, quos ex hac vita euocat, mœstitiam moderemur, & paulatim animos erigamus, ac illis potius hæc bona gratulemur, quam nostra iactura angamur. Non sumus ii, qui homines, vt pecudes, nasci & extinguuntur tantum, vt ferunt vices materiæ, nec restare nobis aliam ciuitatem meliorem, arbitremur: sed vt in Ecclesia vox Dei nos erudit, scimus iis, qui Euangelium amplexi sunt, æterna præmia proposita esse. Ardebat autem pectus Georgii amore Filii Dei, Domini nostri Jesu Christi, ita vt cætera in hac vita omnia duceret longe inferiora; & Euangelii propagationem studiose adiuuabat, & ad hoc decus adiungebat omnes alias virtutes, quæ in membris Christi esse debent. Quumque esset in dando consilio non solum prudens & fidelis, sed etiam felix, non dubito ei Deum adfuisse gubernatorem consiliorum & actionum. Nunc igitur euocatus hinc ad consuetudinem cœlestium, fruitur dulcissimis colloquiis Dei, Chri-

Christi, Prophetarum, Apostolorum, immo & matris tuæ, & agit gratias cœlestibus pro omnibus beneficiis, & non modo vitam tuam, sed etiam vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac vita ingentibus periculis exercetur, salutem Deo commendat. Quare gratulemur ipsi hunc portum, in quo lætus acquiescit, & desiderium eius leniamus recordatione virtutum ipsius, præsertim quum breui eum rursus complexuri simus. Quoties de eo cogitabimus, gratias agamus Deo, quod Ecclesiæ tale ornamentum dedit, & ipsum celebremus, quod Dei dona sua diligentia bene collocavit, & morum moderatione ornauit, & virtutes eius imitemur. His fere cogitationibus animum meum a luctu abduco: quas recensui, quod hoc tempore, etiamsi te eadem remedia & nosse & colligere scio, tamen hæc quasi commonefactio non inutilis est. Si exempla etiam quærimus, Dauidi ereptus est amicus Ionathas, & multo ereptus est atrocius. Feramus igitur & nos, amicum a nobis aliquanto citius, quam vellemus, abductum esse, præsertim quum placide in complexu amicissimorum hominum iter illud ingressus sit. Et vt Dauid petebat a Deo, dari successorem idoneum Ionathæ in Republica; ita & nos petamus, vt Deus alium in Georgii stationem collocet, cuius & virtus & autoritas Ecclesiæ sit salutaris.

Nam hac cura in hac paucitate bonorum gubernatorum valde nos affici decet. Et Filius Dei sedens ad dextram æterni Patris inter dona, quæ dat hominibus, etiam pollicetur, se daturum bonos pastores & doctores. Hunc oro toto pectore, vt te seruet incolumem, & accendat multorum pectora, vt feliciter seruiant Ecclesiæ. Bene & feliciter vale. Wittenbergæ D. IX. Martii anno MDXLV.

MARTINVS LVTHERVS

E I D E M.

Gratiam & pacem in Christo. Migravit igitur a nobis, clarissime Princeps, *Georgius* noster *Heltus*; migravit magno sui desiderio relicto, & dolore nostro. O Deus meus, in isto tempore, quo nobis esset opus multis sanctis viris, quorum precibus, consiliis & auxiliis consolaremur & foueremur, etiam reliquias istas in nobis tollis? Scimus, placitas tibi, o Deus, fuisse huius *Georgii* preces & operas, qui Filium tuum Dominum nostrum *Jesum Christum* ardentissime dilexit, studiosissime coluit, & Ecclesiæ tuæ utilissimus fuit. Ego ipse certe plurimum in ipsius precibus fidebam, & consolatione suauius fruebar.

bar. Quanto magis tibi, clarissime Princeps, acerbissimum vulnus inflictum credo illius discessu, cuius tibi fuit consuetudo suavissima & sincerissima? Cum illo bene actum est, qui collectus ad patres suos & populum suum, plurimos ibi & meliores inuenit, quam hic reliquit. Sed nobiscum durissime agitur, quum in ista Sodoma & Babylone viuimus, vel mortificamur potius, & nobis eripiuntur tales Lothi & Danieles, quorum quo magis opera opus habemus, vergentibus rebus in deterius quotidie, hoc minor eorum copia nobis reliqua est. Sed consilium Dei adorandum est, ut est natura eius, dum aliquid magnum, & quod spem excedit, facturus est, prius omnia annihilat & in desperationem adducit, sicut scriptum est: *Deducit ad inferos & reducit*. Hoc facit ut erudiat nos in fide, spe & caritate erga se ipsum, ut discamus inuisibilia eius præferre apparentibus, & contra spem in spem credentes in ipso hæreamus, qui vocat ea quæ non sunt ut sint. Quæ enim quis videt, quid speret? Deinde, ut & dilectio fiat fortis, ut mors, & æmulatio dura sit, sicut infernus: dum nobis aufert sua dulcissima dona, & ostendit sese prorsus inamabilem Deum, tunc maxime quum de bonis optime & amantissime cogitat & sollicitus est. Sic, sic occiditur vetus homo, & destruitur corpus peccati. Quare, clarissime Princeps, te ipsum

n. gu-
Filius
er do-
ur, se
nc oro
& ac-
eruiant
enber-

VS

Migra-
, Geor-
fui de-
eus me-
us mul-
niliis &
etiam
us, pla-
i preces
um no-
dilexit,
lissimus
ius pre-
ter frue-
bar.

consolare secundum opulentam mensuram cognitionis, qua tibi donatum est nosse Deum Patrem & Filium suum, & in operibus manuum suarum exercitatus es. Nos orabimus, ut Deus totius consolationis te roboret & firmet Spiritu sancto, donec illucescat & veniat hoc opus, quod in istis tentationibus iubet nos expectare. *Non enim ex corde*, ait Ieremias, *humiliat filios hominum.* Et Augustinus in quodam loco: *Non permetteret Deus malum fieri, nisi ex hoc melius aliquid elicere vellet.* Nos adhuc in carne sumus, ignari quid petere aut quomodo petere debeamus, hoc est, quid nobis profit & optimum sit. Ille autem, qui potens est facere supra quam petimus aut intelligimus, pro nobis sollicitus, plura & ampliora potest quam angustia nostri cordis ausit optare, immo cogitare. Sed ea de re non potest, nisi prius ea tollat quibus nos credimus carere non posse, aut magno malo & periculo carere. Exemplis Scriptura referta est. Adam & Heua spe magna de Cain ebrii fuere, mox utroque filio orbat de tota re desperabant. Sed Deus, qui viiificat mortuos, & ex nihilo facit omnia, mox donat eis semen aliud pro posteritate nunquam defectura. Abraham de Ismaele sibi grandia promittit, Isaac de Esau, Iacob de Ruben; sed spes tantas omnes oportuit occidere, ut surgeret noua & æterna spes. Et

PRINCIPIS ANHALTINI. 63

Et nunc nos in hoc calamitoso saeculo prorsus
 omni spe destituimur. Sed speramus tamen
 in Deum viuum spe noua, facturum eum esse
 finem istorum malorum propediem, nec falle-
 mur. Fidelis & potens est Deus, qui promittit,
 & facit. Lugeamus igitur nostrum carissimum
Georgium Helt, quia defecit lux sua, vt Sirach
 loquitur: non sibi, sed nobis. Illi enim lux sua
 aucta & stabilita est in aeternitatem, donec &
 nobis cum illo eadem lux nostra & hic defi-
 ciat, & illic perficiatur, per illum, qui est lux
 & vita nostra, Amen. In quo Celsitudo Tua
 quam optime valeat. D. IX. Mart.

MDXLV.

* * * * *

Philippi Melanchthonis Oratio de vita Principis Ge-
 orgii, recitata a Georgio Maiore, quum gradus Do-
 ctoris Theologiae conferretur Henr. Stenio, extat
 Tom. III. Select. Declam. Phil. Melanchthonis
 pag. 183. seqq, edit. Argent. 1567. & Zervestanae 1587.
Jacobi Thomastii Oratio etiam elegans de Georgio
 Principe Anhaltino legitur inter editas eius X.
 p. 198. seqq.

E 4

PHI.

PHILIPPI MELANCHTHONIS

epitaphium carmen, nomine Fratris IOACHIMI Principis in Anhalt, Comitis Ascaniæ, Domini Seruestæ & Bernburgi scriptum, quod legitur Lib. VI. Epigr. a Jo. Maiore recognitorum, & a Petro Vincentio editorum, Wittenb. 1575. additum sepulcro in templo Dessauensi.

G E O R G I O

D. G. PRINCIPI IN ANHALT, COMITI ASCANIAE, DOMINO IN ZERBST ET BERNBURG, PRAEPOSITO MAGDEBURGENSI ET MISNENSI, PIETATE, ERVDITIO- NE ET VIRTVTVM OMNI GENERE ORNATISSIMO, DEQVE ECCLESIIIS ET POLITIIS HARVM REGIONVM OPTIME MERITO,

IOACHIMVS PRINCEPS

IN ANHALT

GERMANO FRATRI DVLCISS. CARISSIMOQ. S. LACRIMANS P.

PLACIDE PIEQVE MORTVO

XVI. CAL. NOVEMB. ANNO CHR. M D LIII.

QVVM VIXISSET ANNOS XLVI.

M. II. D. IV. H. XIV.

Prinapis Ascania nati de stirpe GEORGI,
 Quem cernis, tumulus proximus ossa tegit.
 Huic fuit ERNESTVS genitor, qui pacis amore
 Promeruit patriæ totius esse pater.
 Matris erat castæ Monsterbergensis origo,
 Sincera coluit quæ pietate Deum.
 Ascaniæ gentis virtus est clara triumphis,
 Ordine quos numerant sæcula longa patrum.
 Sed fuit huic fontes doctrinæ discere cura,
 Quam nobis Gnatus tradidit ipse Dei.
 Hoc ad Maiorum decus addidit inclyta facta,
 Præbuit & patriæ commoda magna sua.
 Esdras ceu quondam populo ius dixit, & idem
 Interpres Solyma legis in vrbe fuit.
 Principis hic munus simul & Pastoris obiuit,
 Ipsius & mentem rexit & ora Deus.
 Justificaque fide capiens tua munera, Christe,
 Solius est cuius parta cruore salus;
 Vera luce Deum agnouit precibusque vocauit,
 Numinibus fictis mens inimica fuit.
 Nec virtutum umbras habuit, sed pectora rexit
 Ipse Dei viuens assimilata λόγῳ.
 Urbibus in multis, flauus quas alluit Albis,
 Et quas cærulei præterit vnda Sala,
 Agmina collegit Christum celebrantia, spargens
 Pura Euangelii semina voce sua.
 Fidus & ætati venienti testis vt esset,
 De Christo patriæ publica scripta dedit.
 Hic frater lacrimans IOACHIMUS condidit ossa,
 Viuit conspectu mens fruiturque Dei.
 O Dus; Ascaniam stirpem seruesque regasque,
 Nulla venit nobis, te nisi dante, salus.

Eiusdem Philippi Melanchthonis
epigramma in imaginem GEORGII
Principis in Anhalt, extat Lib. II.

Ascania stirpis virtus est clara triumphis,
Ordine quos numerant secula longa patrum.
Cesar in Adriaco quum gesit littore bellum,
Et fregit Venetas Maxmilianus opes;
Dux erat Ascania natus de stirpe RVDOLPHVS,
Fixit & in Veneto multa tropæa solo.
Nunc ad Maiorum decora hæc laus magna, GEORGI,
Accedit, vere principe digna viro.
Quod sic doctrinam reliquis virtutibus addis,
Ut verum celebres pectore & ore Deum;
Et Christi illustres ingentia munera scriptis,
Justifica supplex quæ capis ipse fide.
Exemploque Esdræ populum dum iure gubernas,
Doctrinæ spargis semina pura simul.
Summe Deus, solus qui das felicia regna,
Ascanios fratres, te precor, ipse regas.

IOACHIMI CAMERARII
duo carmina lugubria in Principis GEORGII
obitum.

ΓΡΑΜΜΑ.

ΓΕΩΡΓΙΩ ΗΓΕΜΟΝΙ ΑΣΚΑ-
ΝΙΩΝ

ἀξιόματι ἱεράρχῃ, ἀνδρὶ σεβασμιωτάτῳ
καὶ ἑπιφανεστάτῳ.

Σῆμα ΓΕΩΡΓΙΕ τῆτα τεόν, λαμπροκλεές ἥρωσ,
Ευγενές δεχάϊων ἔρνθη ὄπ' Ἀσκανίων.

καὶ

Καὶ γὰρ κείσ' ἀπὸ καὶ σὺ δέμας δέμῃσ' ἀκαμάτησιν

Ἐισὲν γ' ἡλικίης ἀνδρῶν ἔχων νεαροῦς.

Καὶ μόχθοις μὲν κείνο καὶ δαγυαλέησιν ἀκαμειν

Ἐχε τέλῃσ', νέσοις φθινόμβρον, θανάτῃ.

Ἡδὲ φιλόχευτος ψυχὴ καὶ νῆς ἱεράρχης

Ἀιθερίας πρὸς εὖν κύριον ἦλθε δόμῃσ.

Ἐνθ' ἀμπαυμα πόνων εὐρηκε φυγὴν τε μεριμνῶν

Ἐν δ' ἐτέθη κοίτη σῶμ' ὑπὸ γῆς μαλακῇ.

Ὅπως σάλπιγγ' ἀνέει βιογέροισιν ἦχον

Πάντα τάφον νεκύων ἐκκενεωσαμένης.

Ἡσ' μὲν ἀφ' ἡγεμόνων θάλλον βλάστημα παλαιῶν

Πρὸθ' αὐτοκράτορων ἀμμίχα Σαξονικῶν.

Τάτοις γὰρ γένεσ' ἑμὲ ὑμμετέροιο προσήκει

Ἡδ' ἀρετῆς λῆξιν τοῖς δ' ὁμόφυλον ἔχει.

Νῦν τ' ἀρχαίρεσίης ἐπτάνδρα Καισαροτύκτα

Κῦρος ἔην ὡς πρὶν, εἰ γ' ἐθελήσαθ', ὑμῶν.

Πρὸς δὲ σὺ θειοσεβῆς θείγκωμ' ἱερώνομον ἀρχῆς

Χειρόφρον' ἔτ' ἀρετὴν πρὸς εὖν κραδίης.

Δαλέων ἡδὲ θεῶν αἰδία συναγωγῇ

Ἐκκλήτω κόσμῃ τῶν δ' ἀφ' ἀμαρηνόσ.

Ἦν πρῶτ' ἀποιῶν συνάχῃ, εὐάγγελον αὐτὸς

Κήρυγμ' ὡς πρῶτων πάσα πλάζομένων.

Καὶ νῦν τ' ἀντ' αἰνῶσ' ὑπὸ μιαιφωτῶν φιλοκερδῶν

Λαβηθέντ' ἐφόρα σῆς ἐκύρησε φρενός.

Θεολόγοιο φρενός, πάντων ἀπράκτοσ' ἐσθλῶν,

Μυστικῆσ, σοφίης ἐμπλεω θρανίης.

Καὶ πρῶτ' ἔτυχεν φιλομάχθ' ἀρησιμοεργῶν,

Πλείστ' ἔτ' εὐδρασίης σῆς ἀπόλαυσε χερός.

onis
GII

trum.

HVS,

GEORGI,

dis,

gnas,

RII
EORGI

KA-

άτω

ς ἡρωσ,

ίων.

καὶ

Ὀικομένε δὲ σέθεν δήμα θεοκλήθη ὄμιλη
 Χριστοσεβῆς δεινῆ κείται ἐν ὀρφανίῃ,
 Χήρη πένθη ἄγχι δ' ἐκκλησίῃ ἐνθάδ' ἀληκτον,
 Παιδικῆς τλήμων φροντίδι ἀμμοεῖη.
 Τὴν αὐτὸς ποιμὴν ὦ χριστὲ φύλαξον ἀεισθε,
 Ἄυτὸς ἐπισκοπέων σὴ περιβαίν' ἀγέλη.
 Μηδέτ' ἔα λυμῆνασθαι τῆδ' ὄχλον ἐρίθων,
 Μηδ' αὐτὴν σφετέρῃ φθείσθαι ἀτασθαλίῃ.
 Ὅου σὺ χριστὲ κλέθη ζητεῖτ' ἔδόξα θεοῖο,
 Ὅουδ' οἴων ὄφελθη τριτάκι πλαζομένων.
 Ζητεῖται βροτῆς κάλλθη ψαδάνυμον δρχῆς,
 Κερδαλέα τε τρέπων τέρψιες ἠδυβίων.
 Ἄυτη δ' ἀφρανεῖσα πολυπλάιθη ἰκτεροτάλαινα
 Πόιμνη ἀνηκέστοις φθείρεθ' ἐκῆσα κακοῖς.
 Φθείρειαι ἢ ἴπιεπιθη ἐκῆσ' ἀέκοντί γε θυμῷ,
 Ὅν ὡσαύτ' ἰδρυθῆς φάρμακον ὄσι νύσσα.
 Ὅου ζυνίησι δὲ πῆμ ὀλέθεοις, καὶ ἔσπετ' ἀγχοι
 Ἐἰς μέρον ὅση ἐτύμοις ῥήμασι πειθομένη.
 Ἄλλων δ' ἀφραδίησι νοοῖο κακῆχικὸν ἐθνηθη
 Ἐἰν ἀθέω σαρκὸς μάνιεντ' ἐλάθερη.
 Καὶ βιοτῆς ἀνεπιπλήκτω μαλακῆς διαγωγῆ
 Πρωτάθ' ὅπη λοιπῷ δρώσιν ὅμοια λεώ.
 Νῦν ἄρα χριστὲ βοηθείας περφανῆς σέθεν ἔργον
 Λείψαν' ἐπι σφετερῆς ὡς περιεῖν ἀγέλης.
 Ὅσ δὲ τῆς πισῶς κείνην τήρησεν ἐφειμαῖς,
 Λειτουργῆ παύσας σῶμ' ἰδίου καμάτῃ.
 Πρὸς σ' ἀνα νῦν ψυχῆ κληθεῖς ἐντεύθεν ἀπῆλθε,
 Τὸν καλὸν ἐν ζωῆ τῆδε δρόμον τελέσας,

Τηρήσας καὶ πῖσιν ἀγῶνά τε λαμπρὸν ὑποστάς,
 Νῦν τε δικαιοσύνης σέμμα κομιοσάμευθι.
 Χαῖρε πατήρ ἱεράρχα διδάσκαλθι ἔμπεδόμυθι
 Ἦρηνθι ἀπὸ πατρῶν εὐγενὲς ἡγεμόνων.
 Καὶ δὴ ἀπ' ἀρχαίων κατὰ γων γένθι ἐσθλὸν αἰνάκτων
 Ἐξοχα δ' ὀρθολόγω γνώριμθι εὐσεβίη.
 Ω χαῖρ' αὐθι παρῶν ὧ τ' ἄρ κήρυξας Ἰησοῦ,
 Ἐν ὄψιδαισιν ὄλβιε χαῖρε μοναῖς
 Ἐνταυθοῖδ' ἔτεροι κραζόντων ψευδολόγοισι
 Χρυσὲ τεὸν μύθοις ῥῆμ' ἐπιπλεξάμενοι.
 Οἱ δ' ἔτεροι κωκυζόντων φωνῶντες ἀώρῃ,
 Τολμῶντες βλακικοῖς λοχολογεῖν ἔπεσι,
 Νικήσει γὰρ ἀληθείη τέλθι ἢ ὑ λαχῆσαι,
 Βλάσφημον δὲ θεὸς καὶ σοὶ ἀναιδὲς ὄλβι.

Latinum.

Reuerendissimo & Illustrissimo Principi
ac Domino

DOMINO GEORGIO

Principi Anhaltino & Ascania Domino,

Antistiti Ecclesiae Christi fidelissimo,

qui Dessauiae D. S. O. XVI. Cal. Nouembr.

Anno Christi M. D. LIII.

ERipuit nobis Princeps tollente GEORGI,
 Abducens terris te quoque morte DEUS:
 Maiorum Ascania Princeps longo ordine gentis
 Ex veteri illustri stirpe create Ducum.
 Ex quibus, imperio qui praesit, rite creando
 Septem habuere unum secla priora virum.

Nemo

Nemo tibi similis, nemo pietate secundus,
 Doctrina, ingenio, religione, fide.
 O Princeps, habuit quem desolata patronum
 Christicola fidum turba pusilla gregis.
 Cuius mens, fortuna, animus, ditio, bona, corpus,
 Sunt impensa sacro cuncta ministerio.
 Qui nunc heu patriæ decedis tempore quali?
 Quando carere minus quæ tua posset ope?
 Quam tuas sustinuit bonitas, sapientia, virtus,
 Et studii immensa sedulitate labor:
 Ne faceret sæpe inclinata Ecclesia lapsus,
 Neu premeret sanctam forte ruina fidem.
 Te venerati dilexere boni, optime Princeps,
 Te simul oderunt & timuere mali.
 His etenim opposuit se constantissima virtus
 Magni animi, & vigilans sollicitudo tui.
 Nec tibi vis nocuit nec fraus, ad utrumque parato,
 Mente opus intrepida siue sagace foret.
 Quo validum pectus? mare si quæ nauigat, omni
 Tempore tranquillas puppis haberet aquas.
 Qui vidit bellis nullum cessantibus hostem
 Miles, hic an dicet forte cor esse sibi?
 Crebra & sunt iniecta tibi, illustrissime Princeps,
 Te pressere grauis pondera dura mali.
 Illinc inimicitiis urgentibus, unde potentum
 Immeritum varia te petiere mina.
 Hinc inuidia te circumstante, malignæ
 Rectis infesta consiliisque manus.
 Namque odium ut capiti, sic obtrectatio diras
 Insidias famæ struxit iniqua tuæ.
 Nil refert. Vincit tandem post omnia verum,
 Et redit illustris nube cadente dies.

*At nostros eat in tanta caligine, tanquam
 Lucerna, ante, precor, vox tua, Christe, pedes.
 Principis incessus ut rexerat illa Georgii,
 Cœlestis monstrans cognitionis iter.
 O Princeps dilecte Deo, cuius merita extant
 In patriam inque alios maxima ubique, vale.
 Cum damno qui nos quantoque dolore relinquis?
 Dum miseris presens subtrahis auxilium.
 Sancte vale Princeps. Te nunc Ecclesia luget,
 Et sibi morte gemit vulnera facta tua.
 Felix sorte tua & cunctis defuncte periclis,
 Aeternaque fruens prosperitate, vale.
 Idem cœlesti Princeps in sede locatus,
 Salve anima in Christi sancta recepta sinum.
 Salve iterum ætheria sine fine beatus in aula,
 Non magis humano subditus arbitrio.
 Consors æternæ salve vitæ inclyte Princeps,
 Pars immortalis prima sodalitiū.
 O salve atque vale. Sed tu nos Principe tali
 Orbos, Christe, orbos ne tamen esse sinas.
 Atque aliquo, quem tu scis, præstantissime Pastor,
 Palantes pecudes ipse tuere, modo.*

f.


IOACHIMVS CAMERARIVS.




VI PRINCIPIS ANIMALIUM


Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

IOACHIMVS CAMERARIVS



Fragment of text from the left page, including the letters "P", "O", "N", "C", "O", "P", "O", "P", "A", "L", "A", "I", "C", "I".





tem
usu
prim
con
com
dica
prob
ver
sa a
nisc
cord
ut c
doct
onm
nica
tum
am,
turi
esse i
ptat
bus
E
plex
ti, q
E
cens

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8

Centimetres

KODAK Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2000

Kodak
LICENSED PRODUCT

Blue 3/Color Black

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

unt,
an-
t, E
de
pre-
rint,
e in-
, ut
anus
igio-
itio-
re-
istis,
ea
acti-
an-
tu-
ma-
scio
olu-
oni-
am,
om-
at a-
sius

